PHILOSOPHIÆ POLITO-BARBARÆ SPECIMEN,

IN QUO

De ANIMA & *ejus* HABITIBUS INTEL-LECTUALIBUS,

Quæstiones aliquot,

LIBRIS DVOBVS,

Illustrantur à

BARTENIO HOLYDAY

OXONIÆ,

Excudebat *Guilielmus Turner*

cIↃ IↃCXXXIII.



PRÆFATIO.



NOn semper Imprudentiæ, quandoque Officij est, sensus animi exponere. Quod ipsum nunc exigit instituti mei ratio: quæ, vt inutilis non est, sic nec molesta sit. Specimina *juventutis meæ hic dedi, ante annos duodecim jucundè elaborata, cùm in* Æde Christi *primùm Rhetoricæ, deindè Philosophiæ Prælectoris munere, non sine severa studiorum amœnitate, fungerer. In dissertationibus verò hisce Philosophicis (quarum nonnullas fateor incuriâ meâ in-*

tercidisse, non dicam desiderari) difficultates paucas tantum, sed selectiores, de iisque pauca tantum, sed selectiora edidi. Cùm enim pro more disputantium, Quæstionis statum pro viribus, si minus viriliter, Respondens explicaret; Analecta tamen, seu Paralipomena addenda superessent, talia tantùm attuli: nisi quòd Nonnunquam etiam Summam rei collegerim lectissimâ (quâ potui) veritate, perspicuitate, brevitate. Et forsan fœliciùs cum re literaria literatisque ageretur, si, ad eundem modum, rerum veritas non tanquam à Procuratoribus, sed velut à Judice traderetur. Quæ enim accuratiora judicavi, vnâ aut alterà sæpè paginâ, vt sine verborum, sic sine rerum dispendio, consummatim depingo. Philosophorum Synodum non-

superbè

ſuperbè conſului; ab vno verò vel altero ſi quandoque diſſentiam, non confeſtim, quaſi ob devictum hoſtem, trophæa erigo: Rationibus enim, non Nominibus, res tranſigitur. In Senſuum *tamen* Anatomiâ *(liberè dicam) Philoſophos plerunque nonnihil erraſſe; vt in* Philoſophia *ſenſuum, nec paucos, nec raro, Anatomicos. Veritatem claram elicere tentavi: neque enim tàm chalybem ſilicemque hîc paravi, quàm excuſſum ignem.* Habituum Intellectûs *doctrina, quàm ferè ignota, languida ſaltem & diſtracta diù jacuerit, quis adeò hoſpes in Philoſophia, qui neſciat? Abſyrtus aut Hippolitus vix funeſtiora ſchiſmata paſſi ſunt. Partes præcipuæ hîc adſunt omnes, id eſt, corpus non ſanguine, vtinam nec ſpiritibus, deſtitutum. Et ne*

 phi-

Philosophia in se sana & formosa ingeniis delicatioribus quasi facie Hippocraticâ (vt cum Medicis loquar) infœliciter videretur, vultus ei, Rhetoricæ liberalitate, si non elegantiores, mitiores saltem adaptavi; vnaque ostendi, quàm facili familiaritate Philosophia & Rhetorica vnà hospitentur. In Oratione, quam subtexui, de Aristotele, Rhetoricâ Animique Passionibus, præcipuas Rhetoricæ Elegantias (quas Figuras vocant) adhibui; eóque novo saltem Conatu, vt in eadem plerúnque periodo, non tantùm Figuræ Nomen, sed & Ipsa occurrat: vt ita non-infœlici compendio, pro præcepto simul & praxi Juventuti Academicæ inserviat. Non dissimiliter de Passionibus egi, non vt ipsarum nomina aures afficiant, sed vt passionis cujusque

imitatrix descriptio paßionem ipsam non tantùm exprimere, sed & excitare conetur. Vt verò quisque dehinc tùm Philosophiâ tùm Rhetoricâ, rectiùs vtatur, id est, fruatur, observare licet, immò oportet, Philosophiam *non dißimilem esse pharmaco Paracelsico: quod, si ritè administretur, medela est, secus verò mors ipsa est. Sic, cùm omnis Veritas vel Testimonio divino aut humano, vel Ratione constet; Hæc velut in medio cautè ponenda est. Si enim Testimonio Divino anteponatur Ratio, errores in Theologia; vt, si Testimonio Humano præponatur, errores in Philosophia oriuntur. Diffiteri item non licet* Rhetoricam *facilè æquivocam esse, immò in mendacia (vt latiniùs loquamur) quandoque elegantia, sæpè gratißima, quàm citißimè intumescere.*

mescere. Cujusmodi σφάλματα fateri non pigebit, cùm in orationibus insequentibus aliquoties occurrant vel Antiquorum infœlicia illa & inscita vocabula, Fortuna, Fatum, Dij, Numina, vel Nimia Philosophorum aut Philosophiæ Encomia (vehementiæ oratoriæ, præsertim juvenilis, exuviæ): quæ ideò tantùm non rejicienda judicavi, vt alij, quæ rejicienda forent, fideliùs dignoscerent; mihique primo libuit sic potiùs ea transfigere, quàm vel Consuetudinis jure, vel Hyperboles humanitate artifici excusare. Rhetorica verò, vt et Philosophia, in se pura & castigata: qualem alijs optat, & quali solà dehinc gaudebit

BARTENIUS HOLYDAY.

SERIES RERVM
Libri primi,
De Anima.

Series rerum Libri secundi, De Habitibus Intellectualibus.

INDEX.



LIBER PRIMVS DE ANIMA.

Oratio habita, cùm Aristotelis Librum Secundum De Animâ interpretaturus essem, cIↃ IↃCXVIII.

SI intemeratâ veritatis sanctitate (Auditores Aristotelicè animati) aut credere liceret, aut optare animam harmoniam; aspernaretur Philosophia superstitiosam Oratorum ambitionem, qui artificio exordij benevolentiam captant. Ea enim foret orationis nostræ ab animâ profluentis imperatrix vis, quæ aut mitissimâ violentiâ animos vestros impelleret,

leret, aut vocalisſimâ ſuavitate incantaret. Sed cùm Empedoclea ſymphonia veritati philoſophicæ ſit parùm ſymphona: pro argumento erit Anima; pro exordio Ariſtoteles; quo nomine, qui non excitatur plus quàm vniversâ Rhetoricâ, miraculum erit majus Ariſtotele. Quem qui laudaverit, aut admiretur, aut diſputet: neque enim ille celebrandus niſi ſilentio, vel argumento. Ampliſsima dicendi facultas impar eſt illius laudibus: cujus operoſa encomia famam enecârunt; vt illius nomen jam ſit ipſius Famæ Epitaphium, ipſe ſepulchrum animatum. E cujus ſacris marmoribus nulla vnquam exijt exitioſa caprificus, ſed fortunatæ violæ, ſpirantes croci, & ſuperbum ver: præ cujus odoribus, Orientis invidi ſuffitus evileſcunt. Pelian diſſectum & emortua funera poëſis olim vagientis mundi credulæ infantiæ obtruſit. Quæ tamen fabulæ, etſi naturam & fidem ſuperent, pro hiſtoriâ erunt, dum Ariſtotelem cogitamus: cujus hiſtoria ita infra veritatem conſiſtit, vt tamen vniverſam ſuperet poëſin. Hic enim diſſectus

dissectus est ab hostibus & interpretibus: à quibus tamen vitam viresque accepit: & dum in varias orbis partes, in omnes distrahitur. Ineptiunt Critici dum bibliothecarum originem nimio naso indagare soliciti sunt, Aristotelem intereà prætereuntes bibliothecam omnium humanarum quasi antiquissimam. E cujus archetypis monumentis aliarum omnium manuscripta volumina mutuatitiam desumunt scientiam & veritatem ectypam. Hunc qui non novit, nihil novit; qui novit, omnia novit; vt de Deo suo Aquinate Thomistæ poëtici gloriantur. Bibliothecæ verò hujus instructissimæ pulchritudinem aspecturi, è tantâ voluminum multitudine introspicite hoc opus, cui omne epitheton impar est, nisi ab Aristotele deductum; introspicite ergò hoc opus Aristotelissimum. Reliqua sunt cadaver Aristotelis; hoc ipsum verò Anima ipsa à qua originem ducit, quicquid in naturâ, quicquid in arte eximium est. Nomina & verba, alijque elementarij sonorum articuli, à quo nisi ab Animâ efformantur? Voces

Porphyrianæ opere plus quàm Arachnæo conformatæ, à quo nisi ab animâ sunt fabrefactæ? Decurionatus Prædicamentorum, annon in ordines suos artificiosè ab animâ disponitur? Certitudo demonstrationis architectonica, à quo nisi ab anima demonstratur? Virtutes, quas Ethicorum humilicas superbè jactitat, quid aliud sunt sine anima, quàm extorres sine lare & patriâ? Naturæ principia, quid aliud sunt, quàm gymnasium hujus Academiæ? Regina politica ancillatur animæ, ad cujus exemplum, administrationem suam efformat. Etenim & hîc respublica, immò, sine hac nulla. Si enim sine anima corpus reipublicæ constituere velitis, Rempublicam Platonicam, sed & poëticam novo artificio & vinculo conjungetis, & pro republica constituetis Vtopiam. Sed ecce animam triumphantem, & tumultuantes Deos ad creandam hanc Pandoram; quam dum ornârunt Dij, ita se exuêrunt, vt numina sua quasi prodegerint; nec gratius cœlum, imò vix aliud præter animam agnoscant. Quæ-

liber

libet herba, quæ ſentire nequit, nedum loqui, clamat Deum, ſuamque animam, quam non intelligit, profitetur. Evigilat heliotropium & gratiſsimâ quadam cœcitate Soli occurrit, matutina ſacra perſolvens. Prudens natura! quæ, cùm os non poſsit, expandit folia; vnáque patronum agnoſcit & munus; Deum & animam. Minima plantarum ſecretis ſuis & quaſi fallacibus incrementis aſſurgens, opus eſt animæ & encomium. Fructus producit & contemnit, quo & virtutem ſuam & luxuriam oſtentat; & quaſi generis humani æmula immortalitatem cogitans hæredem futuram ſibi creat, quâ poſteritati propagata interſit. Denudantur arbores ſuis comis, cumque prudentiam ſenilem conari non poſsint, venerandam calvitiem imitantur. Iſta verò cui ignota, immò cui nota? niſi eidem, cui notus & Ariſtoteles? qui acie intellectûs & novâ anatomiâ in tam exiguas partes animam diſſecuit; vt penè illud Democriti, quod refutavit, perſuaſerit, animam ex atomis eſſe conſtitutam. Sed ingerunt ſeſe ſen-

ſibus veſtris ſenſus ipſi : dumque planta-rum præconia pænè inaudita *Auris* percipit, *ardet & odit*; ſuamque officinam & reipublicæ animæ armamentaria hoſtibus minatur; licetque ipſa crebris fragoribus obtundatur : tympano tamen ipſa excitata inimicos ſonos malleo ſuo contundit. At videor mihi videre *oculum* magno ſupercilio indignantem, dum imperium ſibi præreptum intuetur; ſuumque cœlum orbibus ſuis pulcherrimè diſtinctum ſuperbè volutat. Etenim & oculo cœlum eſt Chryſtallinum: quo & prælucet corpori, & præeſt; gaudetque aurem tanquam ſatellitem à latere ſeponi. Sed non elatiùs ſuperbit ſupercilium, quàm *naſus*; qui infelici virtute contemptum ſuum ex contentione iſtâ ſubodorans, ronchos indignabundos fortiſſimè trahit. Statum tamen ſuum, ab ipſa natura, oculis & auribus, aliquâ ex parte ſubmiſſiorem caſtigatiùs perpendens, ſannas ſuas deponit & ſuperbiam. Sapienter ſanè; naſutus eſt naſus jam, non polypoſus. *Guſtum* vindicare ſuperfluum foret : cùm ipſa *lingua* ei ancilletur;

tur; à qua officium & laudes exigat. Adest verò *tactus* subtilissimus, *cubito qui tangat*, & philosophum suum hortetur, ne præconia sua intacta prætereat; quæ certè ratio est, cur gustûs encomia ne extremâ saltem linguâ prælibetis. Quoniam verò optimè tactum laudat, qui leviter tangit; levissimè prætereo; ductumque sequar *sensûs communis*: qui tanquam præfectus aliquis oppidanus de reliquis sensibus judicium suum, seu potiùs opinionem solidè & crassè profert. Sed ecce agili pede exiliens occurrit aulica *phantasia*: qua solâ juventus animæ conservatur. Hæc est hippodromus animæ, & theatrum; in quo ludi, somnus, insomnia, & amores immemores dominantur. Sed hanc subsequitur & premit *Memoria* Saturnina, omni odio constantior & gravior; quæ Thesauraria est hujus reipublicæ. Subsequitur vulgus, seu turba *Affectionum*, quas ducunt Tribuni plebis, *Appetitus* et *Locomotiva*. Præeunte hoc agmine intuemini, tanquam Iovem aliquem, Imperatorem *Intellectum*, ejusque Iunoniam Imperatricem *Volun-*

Voluntatem, magnâ comitante catervâ Idearum. Quo cœlo majeſtatis excitemini nobiliſsima pectora? Cœlum * nuper ſuperaſtis, non reliquiſtis: in cœlum nuper aſcendiſtis, jam deſcendite in cœlum; in vos ipſos. Cœlum eſt, vbicunque eſt anima, quæ ſeipſam intelligit. Compellat vos Philoſophia, Satagite: compellat vos Ariſtoteles, Satagite: ipſumque mane juventutis veſtræ compellat vos, Satagite. Sed video vos ad vigilias & philoſophiam excitatos: vt gratuler ſanè tùm fortunæ meæ, tùm muneri, meo dicam an veſtro (Viri benigniſsimi) quibus agnoſco me debere Ariſtotelem, Animam, Comiteſque hos meos gratiſsimos, quos cœlum attigiſſe & virtutem vidi, eâque veneratione animam proſequuturos credo, qua pietas vel humilior ſuperſtitio Deos colit. Equidem alliciet vos (Comites dilectiſsimi) ſerenitas animæ. Seria hîc ſunt, & amœnitates: conſilia & joci. Phantaſia * ludos proponit, Intellectus diſputationes, quas ſi quandoque illa interrumpat, credite tamen vos philoſophari,

* *Superioris anni diſputationibus, de Cœlo.*

* *Poſt aliquot ſeptimanas habita eſt coram Academicis Comœdia mea, τεχνογαμία, ſeu de* Artium Conjugijs.

phari, dùm in theatro phantaſiæ ludos agitis. Eſt & Philoſophiæ ſua ſcena; riſúque concuſſa eſt barba Democriti. Non ſemper pugnat philoſophia, aliquando ludit; dúmque laxatur animus, reparatur, viréſque colligit, dùm remittit. Vnâ tantùm parte intelligimus, quinque ſentimus; priúſque ſentimus, quàm intelligimus. Sic plùs eſt ſenſibus, ſic priùs indulgendum. Senſibus inquam indulgendum eſt; ſed non propter ſenſus; Intellectus verò meretur otium, quo fruitur. Vtrâque fælicitate vos fruamini; ſic tota erit in toto anima, dum ludos agitis, & philoſophamini.



QVÆST. I.

An Anima rectè definiatur ab Aristotele? Aff.

INitium indè disputationes desumunt, vndè & nos, ab anima; argumento miræ fœcunditatis & erroris: vtpotè in quo audacissima ingenia insanâ subtilitate sese exercuêrunt. Quod magnum naturæ ænigma, animam, plurimi dissolvere conati sunt, pauci enodârunt. Infantissima veterum philosophia, modò ex divina mente, modò ex elementorum concretâ fæce animam constituit. Democriti atomos quis non Democriti cachinno jam diù excepit? necnon tibicines illos philosophiæ, qui animam harmonicam statuêrunt? Empedocles eam sanguinem esse, errore tamen exangui existimavit; & Plato, ad numerum errorum adaugendum, putavit animam esse numerum. Cùm Varro innumeras pænè de anima opini-

pinioncs diverſas recitaſſet, diverſam addidit. Marcus Tullius Cicero poſt naturam animæ accuratis periodis explicatam, & ſententijs pænè philoſophicis deprædicatam, eloquentiſsimè erravit. Qui ſanè ſi opinionem ſuam, quâ animam perennem motionem eſſe ſtatuit, de ipſa contentione de anima ſtatuiſſet; propiùs proculdubiò à veritate abfuiſſet. Cùm tamen plerique antiquorum putaverint nihil niſi à ſimili cognoſci potuiſſe, quid mirum, ſi animam ignoraverit inanimata antiquitas? Fatemur tamen haud aliud per vniverſam philoſophiam argumentum reperiri, in quo aut variùs, aut fæliciùs erratum eſt. Neque enim errores illi naturam animæ tàm obſcurârunt, quàm adumbrârunt. Etenim ex ijs quamplurimæ elucent proprietates animæ, quæ aliàs in corpore, velut in puteo, ignotæ delituiſſent. Sed & errorem & veritatem, dum animam ipſam, ſic eruit & illuſtrat Ariſtoteles.

Anima eſt actus primus corporis naturalis organici vitam habentis potentiâ. Ariſt. 2. de Anima. cap. 1. text. 6.

Actus aliquando sumitur pro
1 Omni re actualiter existente.
2 Formâ actualiter inhærente; sic albedo est actus.
3 Operatione procedente ab ipso agente.
4 Principio alicujus operationis; sic specialiùs in hac definitione.

Anima est actus, quia
1 Actus distinguit animata ab inanimatis.
2 Est primum principium operationum vitalium; omnia enim agunt, vt sunt in actu.

Rejiciuntur per hunc terminum
1 Materia prima, quæ est pura potentia.
2 Composita materialia & artificialia.

Primus sumitur vel pro
1 Simpliciter primo; sic solus Deus est actus primus.
2 Eo actu, qui primò inhæret materiæ; sic qualitates disponentes materiam ad introductionem formæ substantialis sunt actus primi.
3 Actu perfectiori in ipsa materia existente.
4 Actu productivo operationum vitalium.
5 Illo, ratione cujus aliquid dicitur primò tale.
(3–5:) His tribus modis anima est actus primus.

Animæ

Animæ convenit *prioritas* duplex,
1 Naturæ; quià res priùs habent esse per formam substantialem, quàm operentur.
2 Perfectionis; vt ostenditur ex duplici acceptione Actûs, qui

sumitur
1 Materialiter, secundum entitatem rei.
2 Formaliter, in ratione actûs; quia perfectiùs actuat, quàm actus secundus.

Rejiciuntur
1 Operationes.
2 Alijque actus secundi; qui tamen dupliciter possunt comparari,

vel ad
1 Formam substantialem compositi: & sic sunt secundi.
2 Operationes (suas) ab ipsis procedentes; & sic sunt primi; quomodo se habet *Calor* inter *Ignem* & *Calefactionem*.

Corporis; hâc particulâ excluduntur *Angeli*, vtpote *actus completi* ac per se subsistentes; nullius ergò corporis sunt forma.

Naturalis; particula hæc excludit

Corpora
1 Mathematica, seu quantitativa.
2 Artificialia.

Organici; Corpus verò organicum à nonnullis accipitur

pro
1 Materiâ organizata; quia corpus dicitur ſubjectum animæ.
2 Corpore animato, ſeu toto compoſito: quia meliùs videatur definiri per finem proximum;

1 *Finis* autem *proximus* eſt *conſtitutio* corporis animati potentis habere operationes vitæ;
2 *Informatio* verò *materiæ* organizatæ ſolùm eſt *medium* vt conſtituatur compoſitum.

Corpus organicum duo includit
1 Certæ figuræ compoſitionem cum tempérie accommodatâ; ſic antecedit animam.
2 Potentiam, quæ eſt forma organi.

Habentis Vitam; quæ aliquando ſumitur

pro
1 Actu formali, ſeu radicali: ſic eſt anima ipſa.
2 Duratione animæ: ſic accipitur in libr. de de longit. & brevit. vitæ.
3 Actu accidentali: ſic eſt operatio; & hoc modo hîc ſumitur. Nam, ridiculum eſſet dicere, Anima eſt forma corporis quod potentiâ habet animam; ſed ſenſus eſt, Anima eſt forma corporis naturalis, quod per ſe nutritur & operatur.

In Potentiâ. Aliquid verò poteſt habere vitam in potentiâ

tentiâ vel {
1 Essentiali, prout est tunc cùm caret animâ, sic semen dicitur habere vitam potentiâ essentiali; non enim actu animam habet.
2 Accidentali, cùm habet quidem animam, sed est in potentiâ ad operationes ipsius, vt augeatur, vel moveatur.
}

Idem ergò valet apud omnes ferè interpretes *Organicum* & *potentiâ vitam habens*, per quod re-

jiciuntur {
1 Corpora homogenea, vt Elementa.
2 Formæ naturales aliæ, vt lapidum, &c.
3 Angelorum assumpta corpora, quæ sunt {
1 Veræ res.
2 Non vera organa: cùm non habent vitales potentias, atque ita nec actus.
}
4 Formæ cadaverum.
}

Si quisquam verò miretur definitionem Aristotelicam tautologiâ indecorâ laborare, sciat non Aristotelis culpâ, sed interpretum hoc evenisse. Apud Aristotelem libr. 2. de Anima. text. 6. (qui est paulò longior) occurrit hæc definitio, hisce verbis, *Anima est actus primus corporis naturalis vitam habentis potentiâ.* Circa finem verò ejusdem textûs 6. repetit eandem definitionem verbis non prorsùs ejsdem, dum dicit, *Anima est primus actus corporis naturalis organici.* Priùs dixerat *Vitam habentis potentiâ*, posteriùs verò *Organici*; sic Aristotelis exemplo vtrumvis licet in definitione animæ adhibere,

bere, at non vtrumque. Vtrumque admittit definitio vera, at non accurata; qualis Aristotelis esse debeat, esse soleat.

Si vlteriùs quæratur vtrum horum præstet adhibere, posterius judico, nempè *Organicum*, licèt enim *Potentiâ vitam habens* secundum Interpretes sit explicatio *organici*, cùm *vitam habere* idem sit quod *Operativum esse*: & sic *potentiâ vitam habere*, idem sit, quod *Potentiam habere operandi* sive *operationes edendi*, quæ non sine organis perficiuntur, atque ita explicent quò tendant organa, *Organicum* tamen naturam animæ fæliciùs exprimit;

quià

1 *Organa*, vt & anima, sunt *causa* respectu Operationum; *operationes* verò vt *effectus* tùm respectu animæ, tùm organorum; atque ita includantur in illorum notione; cùm enim corpus dicitur *organicum*, aptissimè subinnuitur per modum causalitatis, quòd sit *potens ad operandum*.

2 Particula *Potentiâ* facilè occasionem errandi præbeat. Qui enim dicit corpus organicum esse in *potentia* ad operandum, (licèt potentia non neget actum) dicere in *sola potentia* aliquibus videatur: cùm tamen corpus organicum respectu aliquarum operationum (vtpote vitalium) sit semper in actu.

3 Aristoteles ponit *Organicum* in definitione repetitâ, seu posteriori, tanquam perfectiori.

Hæc

Hæc verò adnotanda judicavi, ne interpretes vt se, ita & Lectores suos juvenes philosophos dehinc ampliùs torqueant in particulâ illâ exponenda *Vitam habentis potentiâ*: eòque magis hæc animadvertenda, cùm vix quisquam interpretum sit, qui hujusmodi scrupulum non injecerit, nemo verò qui hactenus exemerit.

Cùm verò quidam particulam illam postremam ad perficiendam animæ definitionem retinerent, ad *excludenda cadavera*, quæ organis dicunt esse distincta, sed non *vitam habere potentiâ*, frustrà sunt: cùm cadavera excludantur per *Organicum*. Quis enim cadaver nisi æquivocè organicum dicat, cùm desit potentia illa, quæ est forma Organi?

Anima ergò ab Aristotele sic perfectè definitur; *Anima est actus primus corporis naturalis organici*, id est, Anima est principium productivum operationum in corpore naturali organis instructo.

Si quis verò, explicationis causâ, vltimam illam particulam *Vitam habentis potentiâ* pertinaciùs adjecerit, sensus erit, (si paulò effusiùs explicemus) Anima est principium productivum operationum in corpore naturali ita instructo Organis; vt non solùm aliquot operationes actu exerat, sed etiam in potentia sit, seu potentiam habeat, multas alias operationes, tanquam certissima vitæ indicia, edendi.



QVÆST. II.

An sanguis & spiritus informentur ab anima? Neg.

VT in plerisque naturam ars imitatur, ita in nonnullis natura artem. Ars est plerùmque ænigmatica, aliquando natura. Quid enim hoc? Corpus est: in corpore est: corporis tamen pars nulla. Anima non est: animatum non est: sine quo tamen nihil animatum. Quid inquam hoc? Certè nec corpus vivum, nec cadaver exangue, sed sanguinem intelligimus: de quo certamus, sed sine sanguine, tuto prœlio, & audaciâ philosophicâ; præsertim cùm etiam certetur contra ignavam pituitam. Sed periculosius forsan reliquis humoribus bilem commovere: ne aut flava bilis nimis intumescat, aut atra illa memori odio nos prosequatur. Pleni tamen animâ animosè pugnamus etiam contra spiritus; quorum

quorum inanimes impetus ne pili æſtimamus: neque enim magis quàm pili ſunt animati. Motum, fatemur, habent, ſed aliundè; & agili curſu feruntur potiùs, quàm eunt. Magnum certè eſt ingenium animæ, quæ ſpiritus ſubtiles produxit, vt potentiam oſtenderet: at inanimes produxit, vt potentiam ſervaret. Imminuit illam cœca mortalitas, quæ fallaci intuitu ſpirituum ſubtilitatem ſuſpiciens pro anima ipſa illos accepit: ſic animam non coluit, ſed temeravit. Sed Spiritus & Humores caſtigabimus animâ & ratione.

Cùm anima ſit actus corporis organici, mirum videatur Humores Spirituſque corporis partes, ab anima totius non informari.

Difficultas ferè tota eſt de ſanguine; cæteros enim humores fatentur Philoſophi non eſſe animatos: ſpirituſque cùm ſint ſanguinis pars defæcatior, ejuſdem rationis ſunt cum ſanguine; de hoc ergò præcipuè quæſtio inſtituitur.

Quare ſciendum eſt, quòd

Sanguis (vt dividitur ſecundum accidentalem perfectionem) eſt vel	1 Purior, in arterijs. 2 Impurior, in venis.	Vterque verò hîc intelligitur.

Præterea, ſecundum nonnullos

Sanguis eſt vel
- 1 Imperfectè concoctus, quem *Nutrimentalem* appellant.
- 2 Perfectus, quem dicunt eſſe partem integralem.

At diſtinctio hæc non eſt admittenda, cùm omnis ſanguis ſit alimentum; cúmque vnum ſit continuum corpus, neceſſe eſt vt vnam eandémque formam habeat.

Sanguis item à quibuſdam

conſideratur vel
- 1 In ſe, & ita dicitur pars corporis in actu.
- 2 Quatenus eſt convertibilis in primarias partes; & ſic appellatur pars in potentia.

Alij ſubtiliùs ſic; Sanguis
- 1 Non eſt actualis pars Corporis, (ſcilicet actualitate Vltimâ, quia eſt in potentia ad naturam Carnis.)
- 2 Sed Naturæ Humanæ.

At natura Partis etiam conſideranda eſt; quæ ab Ariſtotele. 7. Polit. c. 8. hunc in modum definitur: *Pars* corporis animati eſt omne id, in quod idem corpus diviſum, totum vel benè eſſe nequit.

Pars verò in communi accepta, eſt

vel
- 1 Contenta, vt Humores & Spiritus.
- 2 Continens, quæ eſt vel
  - 1 Similaris, quæ in partes ejuſdem naturæ dividi poteſt, vt Os, cartilago, &c.

2 Diſſi-

2 Dissimilaris, quæ in partes diversæ substantiæ dividi potest, vt caput, truncus, &c.

Hinc apparet Sanguinem, vtpotè Humorem, esse partem *contentam* scilicet corporis vasibus. Cùm ergo Aristoteles libr. 3. de hist. anim. c. 2. sanguinem partem *similarem* vocet, quæ est pars *continens*, sciendum est philosophum sic loqui, scilicet impropriè, tantùm ob similitudinem partium sanguinis, cùm non constet ex partibus dissimilaribus.

Vlteriùs notandum, quòd pars

Integralis est vel
- 1 Primaria, & constitutiva, vt partes solidæ, ossa, nervi; atque hæ præcipuè informantur ab anima.
- 2 Secundaria, necessaria tamen, vel
  - 1 Simpliciter, sine qua partes primariæ non possunt naturalem habere consistentiam; vt Sanguis, &c. & hæ partes *formas* suas *proprias* inferiores habent.
  - 2 Secundum quid, seu ad ornatum, vt capilli, vngues: & hæ partes nonnullis ab anima informari videntur.

Sanguis verò non informatur animâ,

quia
- 1 *Non crescit*, sed sicut aqua infusione augetur.

2 *Sanguis* in terra fluxu continuatus à corpore *non vivit*, estque vnum continuum ; & omnis forma infra vegetativam est inanimatorum.

3 *Est alimentum* corporis *animati* ; ideoque diversæ naturæ ante conversionem.

4 Non est organis affectus.

Alij alias rationes addunt, dicentes sanguinem non esse animatum,

quia
- 1 Sine dolore separatur ; at hæc ratio & de ossibus valeret, quæ *ratione sui* sine dolore separantur.
- 2 Non est continuus cum corpore ; at idem dici potest de carne & ossibus, quæ non requirunt continuitatem mathematicam, sed tantùm Physicam ratione ejusdem formæ & compositionis.

Quidam acutè dicunt sanguinem humanum informari animâ

rationali
- 1 In hypostasi.
- 2 Non secundùm hypostasin.

haud tutò satis, etsi tantùm intelligant
- 1 *In corpore*, at formâ propriâ.
- 2 *Non formâ corporis* ; quomodo enim tunc informatur animâ ?

Vna

Vna verò ſupereſt nec exigua difficultas; ſi enim ſanguis, vtpote humanus, habeat formam propriam, nec non reliquum corpus formam ſuam, quomodo erit vna ſubſiſtentia totius? Breviter dicendum eſt, quòd

Subſiſtentia erit vna identitate
- 1 Non Simplici,
- 2 Sed Connexionis & Ordinis; ex ſubſiſtentia enim partiali ſanguinis & corporis oritur vna ſubſiſtentia totalis humanitatis vnitate connexionis & ordinis.

Quod ad motum ſanguinis attinet, dicendum eſt, eum moveri non à forma ſua, ſed tantùm ab anima, tanquam à principio externo, per virtutem ſcilicet attrahentem, expultricem, imaginativam, appetitivam, &c. Quæ verò moventur à ſe, ſenſu prædita ſunt.

Eodem modo ſtatuendum eſt, Spiritus
- 1 Non propriè nutriri;
- 2 Sed auræ afflatu refici.

Ex prædictis ergò elucent hæ veritates,

1 Solæ partes continentes informantur ab anima.

2 Corpus integratur ex partibus
- 1 Primarijs, &
- 2 Secundarijs.

3 Sanguis pertinet ad corporis integritatem
- 1 Non primariam;
- 2 Sed ſecundariam, tamen neceſſariam.

4 Formæ partium ſecundariarum ſunt incompletæ;

tæ; & ita aptè ordinantur ad constitutionem totius.

5 Vbi vnum est propter alterum non plura esse censentur.

6 Vita non est formaliter in sanguine (à quo tantùm fovetur) sed in corpore animato.

7 Totus sanguis in morte hominis (vtpotè decollati) effusus, in resurrectione restituetur, ob *integritatem* corporis.



QVÆST. III.

An detur vnus omnium hominum Intellectus? Neg.

SI ex opinione istâ, qua vnus statuitur intellectus, nova dissidia orta non fuissent; credideram sanè philosophos (mirum dictu) vnanimes reddi potuisse. Sed dum audaci artificio novus homo creatur, intellectus catholicus, & animal cosmopolitanum, non individuus statuitur intellectus, sed vagus. Figmentum sanè vltra Ovidiana, vel Æsopi: & vt monstrum sciatis, ex Africa est, vnde parentes duxit

duxit Averroes. Nec mirum certè si intellectum vagum statuerint Arabes, cùm & ipsi vagi. Credidit Averröes intellectum ab anima separatum: credo certè loquutum fuisse de intellectu Averröis. Quis enim, nisi qui intellectûs expers, adeò dissona intellectui pronunciaret? Non magis ab animatis obsonijs abhorruêrunt Pythagoræi, quàm à ratione hæc fabula. Expectabam equidem Arabem hunc Pythagoricum Pythagorico forsan numero delectatum, nouem intellectus affirmaturum: qui bellissimâ quadam stultitiâ aptè respondere potuissent nouem Musis, aut nouem primis figuris radicalibus. Hæc digna fuissent tam sublimi delirio! Sed, ecce non progredientem Arithmeticam, quæ procedere non ausa est vltra vnitatem. Sententia tamen hæc stolidè excogitata (quod rarò fit) acutè defenditur.

Fingit Averröes Intellectum Vnum singulis corporibus vnitum non per informationem, sed ad intelligendum per phantasmata; sic quasi duo specierum intelligibilium subjecta statuens, ipsa *phātasmata*, à quibus instrumentaliter producantur, &

intellectum, in quem recipiantur. Sic dum intellectus intelligit, homo intelligit, & quia diversa sunt phantasmata in diversis, diversa intelligunt. Ratio verò, seu potiùs occasio errandi fuit, quòd putaverit phantasmata, non intellectum, esse principalem causam intelligendi. Quòd verò non detur ejusmodi intellectus vnus in omnibus, facilè patet; quia

1 Idem numero non potest esse in diversis subjectis indistinctis secundùm suppositum; ergò multò minùs in distinctis secundùm suppositum.

2 Forma, quo minus habet entitatis, eo magis dependet à subjecto: sed aliæ formæ majoris entitatis dependent à subjectis, & multiplicantur cum iis.

3 Si daretur, vbi esset?

Patet etiam ex hisce incommodis; sequeretur enim

1 Intellectum separatum intelligere per species abstractas à phantasmatibus; atque ita propriam operationem animæ separatæ dependere à nostro phantasmate; quod absurdum est.

2 Communicaretur actio immanens, vtpotè intellectio, diverso supposito.

3 Intellectio posset communicari Bucephalo, cùm ejusdem speciei phantasmata tùm Alexandro, tùm Bucephalo communicari possint; & sic æquè intelligerent Averroes & asinus.

4 Illud diceretur intelligere, in quo non est principium intelligendi. Neque enim Socrates magis diceretur intelligere, etsi species intelligibiles

les transmitteret ad intellectum separatum, quàm paries videre diceretur, quia species sensibiles ad visum transmittit.



QVÆST. IV.

An omnes animæ rationales natura dignitate sint pares? Aff.

VT in corporibus, sic & in animis, nimia virtus est infœlicitas; nec beneficium confert, sed fatum. Ruit & ipsa anima viribus suis; quæ, si beatiori naturâ aliam superet, ab infœliciori superbiâ superatur; nec magis victoriam patitur, quàm paritatem. O exitiale dissidium animarum, & æqualitatem pugnacem! Dij immortales, & vos Philosophi superbientes, animæ anima quid præstat? stulto intelligens quid interest? vt corpora pulchritudine, non materiâ, sic animæ non naturâ, sed virtute distant. Ecce tamen cerussam philosophiæ; quam quidam sophi-

ſtæ ſic animæ obducerent, vt non fucatam, ſed aliam redderent. Sed quis ferat politicã iſtam philoſophorum poëſin, quâ inſtituerent animarum Vtopiam? in qua, animæ dominatrices non imperium exercerent, ſed tyrannidem. At excitatur ad vindicias ſuas reliqua animarum turba Democratica, nec Dictaturam agnoſcit, aut Conſulares faſces; nec vindicat ſe ingenio, ſed innocentiâ. Cùm tamen bellum indictum ſit, animæ pauperiores Corporeis organis militant; quibus fatentur ſe debere & promptitudinem agendi & exercitium. Animæ verò elatiores tale ſubſidium dedignantes, Virtutum panopliâ & onere induuntur. Sed quoniam pugna eſt vmbrarum, pugna erit vmbratilis; & verborum tanquam armorum æquali vi, animarum æqualitatem vindicabimus.

Æqualitas eſt vel in	1 Quantitate.		
	2 Perfectione, quæ duplex eſt	1 Accidentalis.	
		2 Eſſentialis, de hac ſolâ quæritur.	

Quòd verò omnes animæ rationales ſint ejuſ-

dem perfectionis substantialis, ostenditur

1 Tùm ex authoritate Aristotelis, qui

1 Metaph. 3. text. 11. dicit, non dari prius & posterius (i. perfectius & imperfectius) in ijs, quæ continentur sub eadem specie.
2 Phys. 7. text. 5. asserit, naturam generis esse analogicam, non speciei;

2 Tùm ex incommodis sequentibus; si enim animæ non essent æquales, tunc

1 Si anima hæc esset mutabilis, substantialiter esset mutabilis; si immutabilis, semper esset ijsdem virtutibus instructa.
2 Individua specie differrent.
3 Substantia susciperet magis & minùs.
4 Omnes aliæ formæ essent inæqualis perfectionis; omnesque effectus degenerarent à suis causis; cùm æquales non sint, nobiliores verò esse non possint.

Ad obscuritates verò quæstionis illustrandas, veritates hæ notandæ sunt;

1 Operationes præstantiores ejusdem potentiæ non oriuntur ex varia perfectione potentiæ sed organorum; sic idem homo diversis temporibus operationes varias exercet; eadem tamen est illius animæ perfectio.
2 Animæ non differunt numero per diversas commensurationes ad diversa corpora; neque est illa proportio ad hoc corpus de essentia hujus animæ.

quia { 1 Priùs est naturâ in se per creationem, quàm insit materiæ.
2 Priùs ipsa informat materiam, deinde consequuntur accidentia; ergò anima hæc respicit singularem hanc materiam *sic perfectam* ex consequenti tantùm, *quà perfectam*. }

Nonnulli acutissimè distinguunt perfectionem, in specificam & individualem: illam communem esse asserunt omnibus individuis ejusdem speciei, hanc verò esse modalem & cujusque individui propriam. At acumen hoc est nimis tenue; cum differentia individualis hoc modo accepta contineatur virtualiter in essentia specifica. Certè si in substantia hujus animæ daretur gradus aliquis, qualis non esset in substantia alterius, sequeretur istas duas animas differre specie. Cui objectioni ipsi hujus distinctionis patroni occurrere potiùs videntur, quàm satisfacere.

QVÆST.

QVÆST. V.

An potentiæ animæ vegetativæ inter se realiter distinguantur? Neg.

NVlla est adeò composita fœlicitas, quam non divisit aut turbavit acumen invidiæ : neque adeò stabili concordiâ potentiæ animæ à natura ligatæ, quin viribus subjiciantur aut conatibus inquietæ opinionis. Hæc primò divisit animam ; nunc potentiam aggreditur : & munerum tantùm diversitatem, varietatem facultatum interpretatur. Audaci mehercle inimicitiâ! Anima tamen in se vna vnam ex se potentiam effundit, qua se nutricem & matrem exhibet prodigâ pietate, & impotenti munificentiæ indulgentiâ. Haud secùs nutricula sedulo ore lac præmollitum infanti præbet : quam alimenti molem facultas nutrix indigestam excipit, exceptam subigit, subactam in sanguinem vertit ; quem demùm

demùm mirabili artificio elaboratum novâ metamorphosi beat, & carnem reddit. Sed vlteriùs exilit vis eadem superba naturæ, nec se quicquam fecisse existimat, si non maximum: cœco igitur incremento sese dilatat, nec alium agnoscit terminum hic impetus, quàm naturam. Hæc sola terminos posuit augmentationis ambitioni: quæ tamen ingenio superbiæ etiam naturam eludere videatur; & cùm ad seipsam augendam non vlteriùs sufficiat, sobolem cogitat, & sic audacter vel augebit potentiam suam vel diffundet. Pertinaci virtute, quod impotenter perdit in individuo, in specie rependit. Hic est hujus virtutis progressus, non divisio. Varia dici potest, non diversa; neque enim ipsa tam gloriatur, quòd tanta sit, quàm quòd vna.

Est verò potentia:

1. Nutritiva, quâ fit reparatio ejus, quod in corpore animato à calido vitali est absumptum.
2. Augmentativa, quâ fit deductio à minori quantitate ad majorem.
3. Generativa, quâ corpus animatum sibi simile producit.

Potentia

Potentia nutritiva & augmentativa non differunt realiter: quòd patet

1 *Non ex ſubordinatione actuum* vtriuſque, vt nonnulli vellent,(quemadmodum à vi lucis progrediuntur Illuminatio & Calefactio, quarum hæc illi ſubordinatur) *quia* actus ſenſuum & intellectûs ſubordinantur, potentias tamen diverſas poſtulant;

2 Sed *ex inadæquatione* vtriuſque *actuum*; cùm actus inadæquati, quales ſunt nutritio & augmentatio, potentiam non multiplicent; ergò

3 Ex *ſufficientia* etiam *potentiæ*; cùm productionem partialis ſubſtantiæ productio quantitatis neceſſariò ſequatur.

Differunt tamen hæ potentiæ ratione & formaliter, quia

1 Nutritiva reſpicit alimentum, vt ſubſtantiam; augmentativa verò vt quantum.

2 Nutritio fit æqualiter ſecundum omnem latitudinem; augmentatio verò magis ſecundum longitudinem viventium.

3 Nutritio non tanto calore indiget, quanto augmentativa.

4 Actus nutritivus ſemper manet; non verò augmentativus; niſi ſumatur pro eo actu, quo vivens quantitatem acquirit, ſive majorem, quam deperdit; ſive æqualem, ſive minorem.

Probabilius etiam eſt non diſtingui realiter Nutritivam, augmentativam, & generativam, quia

1 Ab eadem potentia provenire poteſt generatio

 totalis

totalis & partialis; præsertim cùm

vtráque { 1 Similibus accidentibus disponat materiam. 2 Vniat formam materiæ, & in hanc illam introducat. }

2 Per *eundem* calorem *gignitur* de novo ignis, & *post aggeneratur*, conversâ in ipsius substantiam materiâ combustibili.

3 Aristoteles lib. 2. de Anima cap. 4. text. 42. hoc expressè asserit.

Nonnulli dicunt facultatem nutritivam & generativam ipso subjecto differre; nutritivam scilicet per omnes corporis partes sparsam esse, generativam verò sedem definitam obtinere. Sciendum verò est potentiam etiam generativam per totum corpus similiter diffusam esse; etsi actus ejus, ratione defluxûs superflui alimenti, in parte definitâ reperiatur. Sic ergò eadem potentia est nutritiva, augmentativa & generativa, tria hæc officia habens diversa circa idem objectum, scilicet alimentum.

QVÆST.

QVÆST. VI.

An species sensibiles sint divisibiles? Aff.

MIra sunt, quæ sensus percipit: immò mira sunt quæ sensus non percipit. Dum colores intuemur, superbit natura: dum species verò intueri non valemus, triumphat. Hæ sunt exuviæ & trophæa naturæ: hæ sunt idola philosophiæ; quæ superstitiosa cura ignorat & colit. Vt oculus, sic species, illud est, quod non videmus; per quod tamen nihil non videmus. Quod Anima, id species; quasi separata existit; immò, quod anima non præstat, dividua existit: sic potentiam suam exerit, & modestiam; dum subtilitatem ostentat, & fatetur originem. E materia ortæ sunt, cum materia extensæ: neque hoc imbecillitatis est, sed imperij; quo aëri & sensui sibi subjectis impertitâ virtute dominantur. Ludibunda corpuscula & saltantes atomi specie-

rum naturam haudquaquam exprimunt, ipso sole judice & cachinno Democriti: qui risu exciperet, non censurâ, adeò insanientem philosophiam. Solis ambitiosam magnitudinem percipit oculus: sed an imagine sine magnitudine? Lunæ maculosam varietatem dignoscimus: numquid verò beneficio fœcundissimo puncti picturati? An tam nullo simulachro se repræsentari patientur tot diversarum specierum tanta systemata? Strictiùs agendum est, & invocandæ rationes Aristotelis, qui omne tulit punctum, immò qui sustulit.

Genus specierum sẽsibilium
- 1 *Non* est *Substantia*, quia
  - 1 Substantia non potest produci ab accidenti tanquam à causa principali.
  - 2 Nec
    - 1 Spiritualis; cùm producatur species ab accidenti materiali.
    - 2 Corporea; tunc enim daretur penetratio corporum.
- 2 *Non Quantitas*, ob eandem rationem;
- 3 Sed *Qualitas*;

Illarum

Illarum genus eſt *Habitus*

1 Quia enim ordinantur ſpecies ad operandum, ſunt primæ vel ſecundæ ſpeciei qualitatis;

2 Et, quia non dant primam vim agendi, ſed illam ſupponunt & determinant, non ſunt ſecundæ, ſed primæ ſpeciei;

3 Et, quia non actuant potentiam, vt vltimi actus ejus, ſed vt actus primi, ideò in ea ſpecie ſub *Habitibus* comprehenduntur.

Nec obſtat quòd

1 *Non denominent ſubjectum*, ſicut oculus & aër non dicuntur colorati, quia recipiunt ſpecies coloris. Reſpondetur enim; Reipſâ denominationem conferunt, ſed innominata eſt, quod in multis alijs qualitatibus accidit, & præſertim in ijs quæ non ſunt per ſe ſenſibiles, & ſolùm fiunt, quaſi ad deferendam inſtrumentariam virtutem. Nihilominùs reſpectu potentiarum aliquo modo explicatur hæc denominatio, quatenus potentiæ dicuntur conſtitui in actu primo per ſpecies.

2 Non ſint permanentes, ſed facilè mobiles. Reſpondetur enim; Hoc non fit ſecundum ſuam naturam vt ſunt habitus; ſed quia dependent ab

ab extrinſeco agente, per cujus abſentiam deſinunt eſſe.

Intentionales dicuntur
- 1 Non Logico ſenſu, ac ſi illarum natura dependeret ab operatione intellectus;
- 2 Sed ob
  - 1 *Imperfectionem* naturæ degenerantis à ſua cauſa.
  - 2 *Subtilitatem*, cùm propè accedant ad naturas immateriales.
  - 3 *Intentionem*; quia movent ſenſum ad intendendum rebus, & ſentiendum.

Cauſa illarum
- 1 Efficiens, eſt objectum à quo producuntur; ſed eſt cauſa æquivoca, cùm ſpecificè differant ab objecto.
- 2 Formalis, ſua propria natura, quæ eſt { 1 Non formalis / 2 Sed virtualis } imago objecti.
- 3 Finalis, Operatio.
- 4 Materialis (vt in alijs accidentibus) eſt ſubjectum, quod eſt tum medium, tum organum in quo eſt.

Modus productionis. Species ſenſibiles educuntur de potentiâ ſubjecti, ſcilicet ſenſorij & medij per actionem objecti, quod potens eſt ſuâ virtute immutare ſubjectum per productionem harum ſpecierum, vt per eas, tanquam per proprias virtutes concurrat.

concurrat cum potentia ad sensationem.

Probatur primò;

1 Sunt accidentia realia:

2 Accidentia realia non possunt esse extra subjectum:

3 Quæ non possunt esse extra subjectum, dependent ab eodem in suo esse.

4 Quæ dependent à subjecto in suo esse, dependent ab eodem in suo fieri:

5 Quæ dependent à subjecto in suo fieri, ab illius potentiâ educuntur.

Probatur secundò;

Si non sic educerentur, tùm crearentur, id est, producerentur ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subjecto concurrente ad productionem in suo genere materialis causæ. Nullum enim aliud est subjectum, præter superiùs assignatum, ex quo *educantur*.

Natura Eductionis. Vt verò formæ accidentariæ educantur de materiæ potestate, non requiritur prævia alteratio aut transmutatio successiva, sed satis est, quòd datur in subjecto naturalis potentia ad illas recipiendas, & quòd pendent quoad suam effectionem & conservationem ab eodem subjecto, seu tempore seu momento producantur.

Notanda,

1 Quoad *subjectum*; Plures possunt esse species in eodem subjecto; quia

1 Non sunt contrariæ vt objecta à quibus producuntur.

2 Sunt

ab extrinſeco agente, per cujus abſentiam deſinunt eſſe.

Intentionales dicuntur
- 1 Non Logico ſenſu, ac ſi illarum natura dependeret ab operatione intellectus;
- 2 Sed ob
  - 1 *Imperfectionem* naturæ degenerantis à ſua cauſa.
  - 2 *Subtilitatem*, cùm propè accedant ad naturas immateriales.
  - 3 *Intentionem*; quia movent ſenſum ad intendendum rebus, & ſentiendum.

Cauſa illarum
- 1 Efficiens, eſt objectum à quo producuntur; ſed eſt cauſa æquivoca, cùm ſpecificè differant ab objecto.
- 2 Formalis, ſua propria natura, quæ eſt { 1 Non formalis / 2 Sed virtualis } imago objecti.
- 3 Finalis, Operatio.
- 4 Materialis (vt in alijs accidentibus) eſt ſubjectum, quod eſt tum medium, tum organum in quo eſt.

Modus productionis. Species ſenſibiles educuntur de potentiâ ſubjecti, ſcilicet ſenſorij & medij per actionem objecti, quod potens eſt ſuâ virtute immutare ſubjectum per productionem harum ſpecierum, vt per eas, tanquam per proprias virtutes concurrat

concurrat cum potentia ad sensationem.

Probatur primò;

1 Sunt accidentia realia:

2 Accidentia realia non possunt esse extra subjectum:

3 Quæ non possunt esse extra subjectum, dependent ab eodem in suo esse.

4 Quæ dependent à subjecto in suo esse, dependent ab eodem in suo fieri:

5 Quæ dependent à subjecto in suo fieri, ab illius potentiâ educuntur.

Probatur secundò;

Si non sic educerentur, tùm crearentur, id est, producerentur ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subjecto concurrente ad productionem in suo genere materialis causæ. Nullum enim aliud est subjectum, præter superiùs assignatum, ex quo *educantur*.

Natura Eductionis. Vt verò formæ accidentariæ educantur de materiæ potestate, non requiritur prævia alteratio aut transmutatio successiva, sed satis est, quòd datur in subjecto naturalis potentia ad illas recipiendas, & quòd pendent quoad suam effectionem & conservationem ab eodem subjecto, seu tempore seu momento producantur.

Notanda,

1 Quoad *subjectum*; Plures possunt esse species in eodem subjecto; quia

1 Non sunt contrariæ vt objecta à quibus producuntur.

2 Sunt

2 Sunt ſubtiliſſimæ materialitatis, quæ ideo intentionalis appellatur.

2 Quoad *multiplicationem*;

1 Vna ſpecies cum actuali dependentiâ ab objecto poteſt multiplicare aliam ſpeciem tum in medio, tum in organo, vt in *reflectione ſpeculi*, & in oculo; (quod etiam inſigne argumentum eſt ad probandum *ſpecies eſſe.*)

2 Species in *medio* eſt ejuſdem ſpeciei cum eâ, quæ eſt in *organo*.

Speciebus convenit *Extenſio*,

1 *Subjectiva*,

1 Non quia educuntur de poteſtate materiæ; nam animæ brutorum animantium perfectorum exeunt è materiæ poteſtate; nec tamen ſunt diviſibiles;

2 Sed quia accidens corporeum ſeu materiale receptum in ſubjectum mediâ quantitate eidem ſubjecto coextenditur.

Nec obſtat, quòd, ſcilicet in viſione, in quolibet puncto medij terminetur pyramis; etſi enim vertex pyramidis ſit in puncto, ſpecies tamen, cùm ſit accidens phyſicum in ſubjecto diviſibili modo diviſibili recipitur.

2 *Objectiva* verò extenſio an ſpeciebus conveniat, quæritur; Nonnulli enim dicunt, quòd ſint

1 Diviſibiles in Eſſendo.

2 Indiviſibiles in Repræſentando.

Status. An ſpecies coextendatur objecto in repræ-

præſentando illud; Quod aſſerendum eſt. Cùm enim objectum ſit diviſibile & extenſum, ſpecies ipſa modo diviſibili illud repræſentabit, ita vt tota repræſentet totum, & pars partem, & conſequenter indiviſibilia ſpeciei indiviſibilia ejuſdem objecti; quia Repugnat ab agente diviſibili, vt tali, procedere effectum indiviſibilem.

Repræſentare verò modo indiviſibili eſt, ſi tota ſpecies repræſentet totum, & quælibet pars totum, & non pars partem; quod accidenti materiali attribui non poteſt.

Ad extenſionem objectivam hæc tria requiruntur;

1 Quælibet pars ſubjecti immutari poteſt à toto objecto, & ab omnibus partibus ejus; vnde *ſequitur*, In toto ſubjecto & qualibet ejus parte tot reperiantur partes objectivæ extenſionis, quot ſunt partes objecti.

2 Quælibet pars extenſionis objectivæ ſpecierum tot habet partes extenſionis ſubjectivæ, quot ſunt partes ſubjecti.

3 In qualibet parte medij & organi omnes & ſingulæ partes extenſionis objecti producunt partes ſpecierum, per quas quâlibet parte organi omnes & ſingulæ repræſententur.

Probatur verò objectiva quantitas, quòd ſcilicet tota repræſentet totum, & pars partem,

ab { 1 Augmento objecti & ſpecierum; ſi enim nova pars objecto addatur, & nova pars ſpeciei eam repræſentanti additur.

2 Experientia, in objecto heterogeneæ figuræ, cujus pars ſpeciei, quæ capitis figuram repræſentat, figuram manus nequit repræſentare.



QVÆST. VII.

An humor Chryſtallinus ſit organum viſûs? Aff.

QVod in majori mundo cœlum, in microcoſmo id oculus exhibet. Lucidum eſt cœlum, & oculus: orbibus diſtinguitur cœlum, & oculus. Myſtica illa planetarum heptarchia non magis in cœlo dominari gaudet, quàm in oculo. Cujus ipſa forma *Saturnum* confitetur, dum figurâ ſuâ circulari æternitatem exprimit. *Iupiter* etiam Ammonius hîc colitur, cujus & hîc reperitur ſimulachrum corneum. *Martem* abeſſe quis affirmabit, cùm etiam in oculo rete reperiat & multam *Venerem*. Qui *Solem* oculo denegabit, neutrum meretur. *Mercurius* & furta hîc ſua exercet & facundiam, dum nimijs blanditijs & tutiſsimâ eloquentiâ eodem tempore &

& ſilet & loquitur. *Lunam* in illo negare non poſſumus, dum neceſſe eſt confiteri humorem aqueum. Si verò Muſicam oculi audire cupiatis, non dulcior eſt (credite mihi) inter ipſas ſphæras. Habet cœlum Intelligentias ſuas, quibus rotatur: habet & oculus ſuos muſculos, immò & ſpiritum. Vnico motu circumgyratur cœlum; oculus verò varietate æquat cœlum & ſuperat. Sol nihil videt, oculus omnia; Sol ſine oculo fruſtrà ferè conderetur: oculus verò nonnullorum animalium, ſolis beneficio vix indiget aut fruitur. Cœlum, fatemur, magnitudine oculum ſuperat: ſic Polyphemum laudabo, non hominem; ſcopulos non gemmas; & certè magis miramur horologium, quod pulex trahit, quàm quòd bos; nec immeritò, cùm in minimis iſtis materia priùs defectura ſit, quàm artificium. Ecce ergò oculi cœlum ſublunare ſolemque chryſtallinum: cujus vigilijs, tanquam philoſopho multis penulis & tunicis involuto, multa cognitio debetur & videndi ratio. Quod, explicatâ oculi aſtronomiâ, ex anatomiâ ejuſdem explicabitur.

*

Figura 1. Oculi partes exprimit.

albi Oculus.
a Major seu internus oculi angulus, vbi caruncula lachrymalis & foramina duo.
b Minor seu externus oculi angulus.
cc Oculi album.
d Palpebra superior mobilis.
e Palpebra immobilis inferior.
f Pupilla cum iride.
g Tarsi, molles cartilagines semicirculares, quibus Cilia infiguntur.
hh Cilia, pili tarsis infixi.
i Cavum superioris palpebræ.
k Supercilium.
l Subcavum inferioris palpebræ
Amm Musculi recti oculorum.
nn Inter musculos adeps.
o Nervus opticus.

Figura 2. membranas (seu *Tunicas*) *Humores* & *musculos* accuratiùs exhibet.

a Humor chrystallinus.
b Humor vitreus.
c Humor aqueus.
t Tunica adnata, seu *extima*; Album oculi vocatur.
d Tunica cornea.
e Densior pars corneæ.
f Tunica vuea in qua Iris; & in cujus anteriore parte est foramen, intra & *extra* quod (vsque ad corneam tunicam) est humor aqueus.
g Tunica retiformis.
h Tunica vitrea, hyaloides.
i Tunica aranea humorem chrystallinum continens.
Kk Processus ciliares seu filamenta, quibus humor chrystallinus cæteris partibus nectitur.
oo, pp, u, x Musculi quatuor recti sursum, deorsum, introrsum, extrorsum oculum moventes.
mn Musculi duo obliqui oculum in gyrum moventes.
ll adeps intra musculos.
rr nervus opticus.
s Tenuis cerebri membranæ portio nervum circumambiens.
q Duræ cerebri membranæ portio tenuem membranam circumambiens.

Figura 3. exprimit tunicam corneam cum optici nervi parte aliquâ.

g Minor oculi circulus seu *pupilla*, quæ tamen accuratissimè sumitur pro ipso *humore Chrystallino*.
f Iris oculi.
h Vasa dispersa per duram meningem.
a Nervus opticus.
b Tenuis meninx nervum circumvestiens.
c Dura meninx nervum circumvestiens.

Figura 4. tres humores simul exhibet.

a Hîc vuea tunica aqueo humori innatat.
b Aquei humoris amplitudo.
c Vitrei humoris amplitudo.
d Hîc vitreus humor distinguitur ab aqueo interpositione hyaloidis, seu vitreæ tunicæ.
e Humor chrystallinus punctulis (explicationis gratiâ) circumscriptus.

Figura 5.

a Processus ciliares (instar pilorum, vel radiorum) sparsi per anteriorem partem hyaloidis, seu tunicæ vitreæ.

Figura. 6.

aa Processus ciliares alio modo scilicet à latere seu dimidiatim (cum vasibus etiam) descripti.

His præmissis,

Organum

Organum visûs est
1 *Non*

1 *Cornea* tunica; quia licèt conus pyramidis visualis in illa terminetur quoad concursum laterum in angulum, non tamen quoad processum laterum; posteà enim concurrunt ad chrystallinum vt parallela.

2 *Vuea* tunica, vt ex ipsâ facilè patet.

3 *Aqueus* humor; quia ab illo species tantùm recipiunt firmitatem & vnitatem, vt potentiùs moveant chrystallinum.

4 *Aranea* tunica; quia licèt imagines in illâ reluceant, tanquam in speculo, vt rectè observat Galenus, tamen illud fit non in rectâ sed reflexâ visione; & sic est non formalis imago per quam videmus, sed objectiva quam videmus.

5 *Nervorum opticorum concursus*; quia

1 Non semper concurrunt; quod in aliquibus hominibus accidisse Anatomicorum experientia testatur.

2 A simili, Nervi *Auditorij* nunquam concurrunt.

3 *Vno* oculo possumus videre, & acutiùs; quia virtus animæ applicatur per vnam potentiam; & secundum experientiam amplificatur pupilla alterius oculi ad majorem concursum & receptionem spirituum & specierum.

6 *Spiritus*; quia ſpiritus eſt tenuiſſimus ſanguis, ergò non vivit; ergò nec poteſt eſſe pars.

2 *Sed* 7 *Chryſtallinus* humor, quod ſatis patet

1 Ex materia ejus quæ eſt pars
- 1 Non lucida, ſed vt aqua ferè congelata & viſcoſa.
- 2 Spermatica.
- 3 Quæ augetur.
- 4 Quæ aptè circumſcribitur.

2 A ſitu; eſt enim in medio, vt in annulo gemma.

3 A pelluciditate.

4 Ab authoritate Ariſtotelis, Galeni & Opticorum.

Notandum vlteriùs, quòd

1 Potentia viſiva duplex eſt pro multiplicatis organis; quia organum eſt pupilla, & hæc duplex, (pro numero oculorum) quarum vna non continuatur cum altera. Nam diſtinctio numerica accidentium efficaciter probatur ex ſubjectorum diſtinctione.

2 Vnitas viſionis (licèt ſint duo oculi) deſumitur ex vnitate objecti, & animæ judicantis.

QVÆST.

QVÆST. VIII.

An, ad videndum colorem, lumen requiratur ex parte objecti, scilicet ipsius coloris? Neg.

QVod diù Affectus perturbavit, id Sensus etiam jam inquietat, dominandi cupido. Nec certè funestiùs cum cæteris sensibus de principatu visus pugnat, quàm illa etiam inter se, quæ huic sensui subjiciuntur, Lumen & Color. Lumen, vt pulchritudinem suam & imperium ostentet, ostendit cœlum solium suum & divinioris naturæ ornatissimum emblema. Domicilia terrena & quæ infra lunam contemnit, nisi dum in columbæ collo aut lignis putridis superbè exhibet ludicra miracula; aut in præstigiatrice iride sophismata creat; sic producens colorem & ridens. Color verò, vt jus suum sibi vendicet, blandissimâ quâdam varietate amorem vnà & stuporem excitat: &, vt superbiam superbè excipiat, lumen

lumen pallidum & vnâ ſemper facie, parùm gratâ conſtantiâ, apparens negligit; vtpotè quod Albedine & exprimere novit Color & ludere. Pugnatur vtrinque: cui verò victoria debetur, ſolius eſt Ariſtotelis judicare, qui vniverſæ philoſophiæ ſummus Criticus. Feruntamen ſententias ſuas & reliqui, at ille ſententiam.

Sunt verò hâc de re opiniones præcipuè duæ; quarum prima, pro natura erroris, eſt admodum varia.

Prima opinio aſſerit lumen requiri ex parte objecti, *quia* Impoſſibile eſt vt illuminetur medium, quin illuminetur etiam color exiſtens in ſuperficie corporis opaci; aliter, daretur extenſio luminis ſine vllo termino.

Sed ſecundum nonnullos requiritur lumen, vt

1 *Res* prorſùs *eadem* cum colore formaliter ſumpto; neque enim aliud colorem eſſe aſſerunt quàm lumen ipſum in varijs corporibus receptum. At hujus opinionis abſurditas facilè patet, quia

1 *Lumini* opponitur tantùm *privatio*, vtpotè tenebræ; *Colori* verò color *contrarius* opponitur.

2 *Lumen* habet virtutem producendi calorem; *non* verò *Color*.

3 Lumina omnia ſunt ejuſdem ſpeciei; non

non verò colores.
4 Veri colores nec extinguntur abſentiâ luminis, nec ejuſdem reditu producuntur.

2 *Cauſa formalis* coloris, quatenus viſibilis; qui ex potentia ad actum reduceretur à lumine: ſic objectum totale cujuſlibet viſionis coloris conſiſteret ex colore vt ex materiali, ex lumine verò, vt ex formali.

At rejiciendus & hic error: quia

1 Sequeretur, colores ſpecie non differre; cùm lumen à lumine ſpecie non differat.
2 Lumen eſt actus diaphani (ſecundum Ariſtotelem); color verò præſupponit actu diaphanum.
3 Vna ſpecies non poteſt eſſe forma alterius.
4 Color eſt per ſe & ex propriâ naturâ ſuâ viſibilis, & *per ſe* motivus perſpicui in actū; *ergò* eſt talis *formaliter*.

3 Cauſa *partialis efficiens*; atque ita cum colore produceret ſpeciem coloris. Agnoſcunt tamen ſpeciem repræſentare ſolùm colorem, ſeu ſolùm colorem eſſe cauſam objectivam ſpeciei.

Cujus ſententiæ pars prima de partiali concurſu luminis falſa eſt, quia

1 Color eſt per ſe viſibilis (ſecundum Ariſtotelem); ergò ſine lumine.

2 Ex ſpecie, quæ eſt virtus ſolius objecti, & potentiâ concurrente conſtituitur vnum principium ſufficiens ſenſationis; ergò non opus eſt concurſu luminis.

4 Licèt non vt forma, tamen vt *aliquid neceſſarium*, non ſecundum naturam, ſed *in ordine ad viſionem*, per modum vnius objecti per vnam ſpeciem, vel per vnitas partiales, repræſentati. Talis verò modus non eſt admittendus, quia

1 Lumen & Color ſunt ſpecies viſibilis diſtinctæ: ergò non poſſunt per vnam ſpeciem repræſentari.

2 Color, cùm ſit per ſe viſibilis, atque ita viſibile completum, habens naturam completam & independentem ab alio viſibili, per ſpeciem partialem non poteſt repræſentari.

5 *Diſpoſitivum*; atque hæc opinio diſtinguit ſpeciem coloris à ſpecie luminis: ſed ponit ſimultatem ſpeciei & viſionis luminis cum ſpecie & viſione coloris. Atque hic modus eſt probabilior; *nec* tamen admittendus; *quia*

Nulla ratio ſufficiens aſſignari poteſt ad probandam neceſſitatem talis concurſûs.

Secunda

Secunda opinio negat lumen requiri ex parte objecti; quia

1 Color eſt per ſe viſibilis, id eſt, ſuâ ſolâ virtute poteſt movere perſpicuum in actu, id eſt, diffundere ſui ſpeciem;

2 Et quoniam hoc præſtare poteſt per ſe, ergò ſufficienter, & ſic non per lumen.

Licèt ergò illuſtrato medio illuſtretur etiam & objectum, illuſtratio tamen ipſa *neceſſaria* eſt, exactè loquendo, non *ex parte* objecti, ſed *tantùm medij*: cùm lumen non concurrat ad productionem ſpeciei coloris, ſed tantùm producat ſuam propriam ſpeciem à ſpecie coloris diſtinctam.



QVÆST. IX.

An ſolùm ſpecies ſoni ad auditum perveniat? Aff.

CVm aurem tenerrimam nimio impulſu aliena encomia toties contuderint, num auris viciſsim ſemper erit auditor tantùm? Eâ tamen eſt & arte & modeſtiâ, vt ſummi inſtar Oratoris, dum officinæ ſuæ artificium præſtructis anfractibus celare ſtudet, & artem ſuam prodat & mo-

 deſtiam.

destiam. Propriâ laus sordet in aure. Forsan verò expectetis aurem, post Pythagorici silentij septennium, mirè opificem exituram, & magistram artis. Exeat sanè; sed post tantum silentium, vnicam profiteatur Eloquentiam. Stylorum enim omnium judex sanè acutus & gravis: nisi quòd nonnunquam ob similitudinem, quam cum stylis habet, similitudinem laudet, non veritatem. Sic auribus longis solus semperque stylus longus placet; alijs verò pro re & tempore etiam & alius. Omnes tamen in hoc conveniunt, quòd præ se ferant speciem soni, non ipsum. Delicata res est auris & superbit. Onus non patitur, nisi gemmarum: nec soni immodestâ magnitudine, sed imagine gaudet. Facessat igitur Avicenna, qui sonum sagittæ comparavit, cùm interim sagittarius iste scopum ne tetigerit. Simplicius putavit sonum in aëre tanquam lignum moveri, cujus vnam si moveris extremitatem, totum movetur. Sententia digna ligneo capite! Alexander asseruit multiplicari sonum percussionibus crebris

&

& progredientibus, vt ex projecto lapide in aquam multiplicantur circuli, At vertigine laboravit rotatum caput. Apud Philosophos ergò hi malè audiunt; vtpotè & doctrinæ auris & beneficij expertes. Cujus officinæ Dædalææ tot ferè laudes inauditas possem congerere, quot epitheta occurrunt in officinâ Rhetorum. Sed juvat potiùs strictâ ratione & severioris philosophiæ — mordaci radere vero Auriculas —.

Auditio non fit vel aëris in quo sonus fit, vel soni in aëre facti vsque ad auditum, impulsu; quia

1 Percussio sæpè parva est, & non tantæ efficaciæ; vti constat de voce humanâ minimis instrumentis in ore factâ, quæ tamen ad magnam distantiam auditur.

2 Cùm perveniret ad auditum motu locali, non statim audiretur; quod falsum esse experientia testatur.

Talis procursus aëris vel in aëre soni *nec vnâ* percussione fit, *nec pluribus*; quia

1 Parva percussio non potest movere tantum aërem; (vt priùs dictum est.)

2 *Immoto aëre* circa nos percipimus sonum à longè factum, immò *propè* factum.

3 Ab his qui *propè* sunt, & ab his qui *longè* sunt *simul* auditur.

4 Sonus *factus extra locum* clausum *auditur in eo*; & sonus factus intra magnum vas æneum clausum auditur extra illud. Et frustrà dicunt nonnulli realem sonum produci in corporis densi poris; nam

1 Si sint pori, pauci sunt & nimis augusti.

2 Non sunt rectâ viâ tendentes, sed interrupti per partes densiores, à quibus vndique circumdati sunt; ergò sonus realis non potest penetrare.

A sono primo non ad aliqualem distantiam, seu non omnino producitur sonus secundus; neque enim tale aliquid fit vel

1 A virtute aliquâ activâ soni prioris; cùm nemo asserat sonum producere sonum, quo modo calor calorem producit.

2 Agitatione aëris insequentis; vt suprà ostensum.

Sonus realis vt primùm producitur, multiplicat species suas intentionales, per quas auditur; nam

1 Sensibile proprium sentitur per speciem.

2 Sonus in profundioribus aquæ partibus à piscibus auditur, etiam in summâ aquarum quiete, quando sonus realis illuc ferri impulsu aliquo non potest.

3 Integer sonus percipi non potest nisi per speciem. Immò

Siqua esset pars medij, cui inesset sonus, & non species, sequeretur in illo spatio sonum non audiri; &

Pro-

Producto sono illicò species ejus producitur; nam Aliter dignoscere non possemus, vndè sonus veniret.



QVÆST. X.

An aër innatus sit organum auditûs? Aff.

QVod in Poëtarum cœlo fabula fuit, in natura & aure historia est, Vulcani conjugium & Veneris. Quàm pulchra enim in aure officina fabrilis! in quâ instrumenta omnia adeò delicatæ sunt molis & formæ, vt hæc non tractent fabrilia fabri. Vulcani hîc reperiatis rete viscosum, quod omnia vim Martiam auri illatura irretiat. Furoris procacis Vulcanus fuit; auris verò silentij (meherclè) inauditi. Si convitia patitur, ne verbum reddit; tutissimâ forsan patientiâ timet, ne auriculas perdat ob maledicta. Iudex est integerrimus, qui vtramque partem audit æquali jure. Si quando vel maximè commovetur, immurmurat tantùm

tantùm & tinnit. Belli & vndarum fragoribus non gaudet, ſed ſuperbo receſſu labyrinthi, in quo ad aurem filo ſpecierum deducuntur. Oculus pulcher eſt, ſed & faſtuoſus: auris verò, dum non ſuperba eſt, ſacra eſt, eamque non intuemur, ſed veneramur. Iactet oculus chryſtallinum humorem; auris verò ipſum aërem; Auris pro cunctis Fama loquatur opus. Et quidni aurem fama magis celebret, quæ parum oculo, ſeipſam verò totam auri debet? Cùm ergò auris fabricam oculis veſtris ſubjicere non poſſim, auribus ſubjiciam.

In aure internâ ſunt:

1 *Oſsiculum.*
2 *Foramen* in eo anfractuoſum.
3 *Cavitas* (ſeu *pelvis*) ejus in extremitate cerebrum verſus.
4 *Tympanum*, ſeu tunica à cerebro procedens, quâ cavitas tegitur.
Deinde tria ſuſtinentia hanc tunicam, nempè
5 *Incus* duobus quaſi pedibus innixa.
6 *Malleolus* inter incudem & tympanum.
7 *Stapes* (motus ab incude)

[5–7:] Ad diſtinctionem ſonorum; vt dentes ad per

per quem ſpecies defertur (vt lumen in oculo per foramen vueæ). | vocis explicationem.

8 *Aër innatus* in hac cavitate vltra ſeu intra tympanum.

9 *Nervus auditivus*, cujus extremitas circumambit foramen clauſum tunicâ.

10 *Spiritus* in nervo procedentes à cerebro in tunicam.

Organum auditûs eſt

1 *Non*

1 *Oſsicula* illa, quæ intra tympanum includuntur; ſicut nonnulli vellent; qui aſſerunt aërem movere tympanum, tympanum movere malleum, malleum movere incudem.

Nam
1 Talis motus non poteſt probari.
2 Sic ſonus aliquis internus impediret auditionem.
3 Oſſa non ſunt diſpoſita ad ſenſationem.

2 *Nervus*; quia
Nervus non poteſt diſtinguere ſpecies, niſi ſolius tactûs; organum verò debet habere talem peculiarem naturam.

3 *Spiritus*; quia
Spiritus nihil eſt aliud, quàm puriſſimus ſanguis, qui non vivit; ergò neque capax eſt potentiæ vitalis.

4 *Tympanum*; quia
Non eſt receptaculum cognatæ natu-

2 *Sed*

5 *Aër innatus*; vt ex aptissima ejus dispositione satis patet; quippè

1 *Contegitur* omnibus alijs partibus auris, vt pupilla in oculo; vt tradit Aristoteles.

2 Est aptissimum *receptaculum specierum*; quia habet cognationem quandam cum aëre.

3 Est *substantia*, (nec tantæ subtilitatis ac spiritus) & *immobilis* ad distinguendum motum omnium sonorum; & cum cæteris corporis partibus continuatur.

4 Est *pars similaris* orta ex aëreâ parte seminis, & aërea parte materni sanguinis.

5 *Nutritur*; vt enim per venas sanguine nutritur humor vitreus, qui posteà alimentum chrystallino præparat: sic in tympano sunt venæ, per quas ipsum sanguine nutritur, & postquam alteratur à natura sanguinis, in hunc aërem convertitur. Immò in structuram hujus organi auditûs derivantur arteriæ, per quas vitam etiam arterialem habet; vt exploratores nonnulli subtiliùs tradunt.

6 *Expurgatur* per canaliculum (ductum

ctum quendam cartilagineum) ab aure ad palatum.

Modus audiendi. Species soni per tympanum(tenuissimam pelliculam) multiplicatur ad aërem internum; seu, per tympanum alia similis species in aëre interno producitur.



QVÆST. XI

An Echo sit sonus reflexus? Aff.

OPtimè eum philosophari credebat antiquitas, quisquis explicatè omnia ante oculos auditorum poneret. Sed dum de sono concertatur, ille philosophatur optimè, qui omnia auribus auditorum proposuerit. Exemplum tamen illorum cautè imitabimur: dum enim de natura Echûs disputamus, etiam & hîc—reparabilis adsonat Echo. Quicquid Opponens profert, illicò Respondens repetit: & quasi ludibundis, ingratis tamen amplexibus voces exciperentur, illarum—offensa resultat imago. Subtile agnoscetis naturæ

2 *Sed*

5 *Aër innatus*; vt ex aptissima ejus dispositione satis patet; quippè

1 *Contegitur* omnibus alijs partibus auris, vt pupilla in oculo; vt tradit Aristoteles.

2 Est aptissimum *receptaculum specierum*; quia habet cognationem quandam cum aëre.

3 Est *substantia*, (nec tantæ subtilitatis ac spiritus) & *immobilis* ad distinguendum motum omnium sonorum; & cum cæteris corporis partibus continuatur.

4 Est *pars similaris* orta ex aëreâ parte seminis, & aërea parte materni sanguinis.

5 *Nutritur*; vt enim per venas sanguine nutritur humor vitreus, qui posteà alimentum chrystallino præparat: sic in tympano sunt venæ, per quas ipsum sanguine nutritur, & postquam alteratur à natura sanguinis, in hunc aërem convertitur. Immò in structuram hujus organi auditûs derivantur arteriæ, per quas vitam etiam arterialem habet; vt exploratores nonnulli subtiliùs tradunt.

6 *Expurgatur* per canaliculum (ductum

ctum quendam cartilagineum) ab aure ad palatum.

Modus audiendi. Species soni per tympanum (tenuissimam pelliculam) multiplicatur ad aërem internum; seu, per tympanum alia similis species in aëre interno producitur.



QVÆST. XI

An Echo sit sonus reflexus? Aff.

OPtimè eum philosophari credebat antiquitas, quisquis explicatè omnia ante oculos auditorum poneret. Sed dum de sono concertatur, ille philosophatur optimè, qui omnia auribus auditorum proposuerit. Exemplum tamen illorum cautè imitabimur: dum enim de natura Echûs disputamus, etiam & hîc—reparabilis adsonat Echo. Quicquid Opponens profert, illicò Respondens repetit: & quasi ludibundis, ingratis tamen amplexibus voces exciperentur, illarum —offensa resultat imago. Subtile agnoscetis naturæ

 mira-

miraculum, quo -- didicit vox missa reverti. Facilè credam aurita saxa & nemora sequacia ab Orpheo olim animata, cùm adhuc etiam vocalia sint & remittant voces.

Consonat omne nemus: vocemque inclusa volutant
Littora, pulsati colles clamore resultant.

Si forsan quæratis, quid sit Echo, Echo respondet; verissimè: mentiri enim non potest; quod maximum miraculum, cùm sæpè etiam vocis humanæ sit filia. Sic nomen vnà profitetur & fidem: quæ antiqua videatur, cùm ad antiquorum morē vallibus gaudeat & nemoribus. Humilis enim est, & quæ, si vel infimus hominum eam invocaverit, certò respondebit: si quisquam suspiria sua altè ingeminet, & illa tàm altis suspirijs congemiscet. Amica est poetarum, philosophorum amica: quam illi meliùs laudabunt, hi meliùs exprimient. Si vultis ergò, more philosophorum veritatem ejus, hoc est, philosophiam explicabo. Si quid novi adducam, ideò gratum sit: si verò priùs dicta tantùm repetam, Echo tamen non ingrata fuero.

Soni reflexio aptè possit intelligi reflexione
1 *Pilæ* ad parietem projectæ.
2 *Radiorum solarium* corpori opaco occurrentiū.

Ratio

Ratio verò dubitandi, seu quæstionis, hæc est; Inter directum & reflexum sonũ mediat tempus: vbi ergò est

Sonus?
- 1 In aëre? tùm sæpiùs audiretur ante reflexionem.
- 2 Nullibi? tùm nec posset producere species, per quas fieret reflexio; cùm species dependeant in conservari ab existentia objecti, quo extincto illicò evanescunt.

Circa productionem soni reflexi hæc imprimis sunt observanda;

1 Producitur sonus realis ad aliqualem distantiam.

2 Producitur species ad corpus resistens.

3 Corpus resistens debet esse
- 1 Firmum, ad resistendum.
- 2 Concavum, ad vniendas species.
- 3 Siccum, ad acuendum sonum.

4 Resilientia, quâ cum verberato aëre repercutiuntur species.

5 Aliquandò repercussionum multiplicatio, quæ fit ad multiplicationem corporum resistentium.

6 Articulatio reflexi soni, quæ fit per continuationem similium specierum; (reflexus ergò non est novus sonus.)

7 Repræsentatio dimidiata vocum, ob primas partes à sequentibus turbatas.

8 Sphæra auditûs, intra quam sonus auditur vnâ auditione continuatâ, at extra eam, licèt sit in aëre, non auditur. Sciendũ enim

Sonus realis productus in aëre producit speciem, quæ cùm transiliit sphæram auditûs progreditur vsque ad corpus resistens, à quo resiliens ad sphæram auditûs revertitur: quo interstitio (licèt brevissimo) dum *extra sphæram* est tùm eundo, tùm redeundo, non auditur sonus. Et hinc fit quòd

Auditio recta & reflexa non fiant simul; præterea enim, licèt species in instanti producantur, deferuntur tamen in aëre successivè.

Secundum nonnullos verò, vt species visibiles in profundo speculi apparent, sic species audibiles non omnes cum aëre resiliunt, sed aliquæ in partes porosas corporis concavi, seu resistentis, recipiuntur;

Nec tamen accidens sic transibit à subjecto in subjectum; quia species cum illa aeris parte, in quâ defertur, in poros concavi recipietur;

Vel forsan species in puncto reflexionis producunt alias species in corpore concavo.



QVÆST. XII.

An processus mamillares sint organum olfactûs? Aff.

ARgumentum aggredimur superbissimum, Nasum: quem tangere temeritatis est, ludibrio excipere nefas;

fas; tàm delicatâ est superbiâ, tàm critico fastu. Ea tamen est anatomiæ ars severa, quæ eruditâ crudelitate nasum, quasi reum, dissecuit; vnáque infamiæ & admirationi exposuit. Neque enim alius est sensus, cui plus debeat nasuti microcosmi respublica: cujus nasus adeò emuncti est judicij, vt omnes malè olentium ciborum conjurationes fideli prudentiâ patefaciat. Visus muliebris est sensus, olfactus virilis: ille pulchritudinem respicit, hic sanitatem; vix magis distant sensus & ratio. Visus ab acie ferri nos tuetur, olfactus verò à venenis; O subtilissima vis & morbi & medicinæ! Tactus, quod propè est, vi facili percipit: olfactus verò odoribus etiam remotis æmulâ superbiâ dominatur. Regia ejus posita est in sublimi naso: à quo per canales fœcundissimos Cerebro, tanquam Numini, gratissimo thure sacra peraguntur. Nec tamen nasum coscinomantem putetis, quòd cribro vtatur; hoc enim non superstitiosum reddit sacrificium, sed purgatum; Hoc non est artis sed pietatis opus. Sacraria olfactûs refe-

rare

rare ſingulis non licet, ſed cui datum eſt habere naſum. In auditore ergò jam naſum poſcimus, non proboſcidem. Qui enim naſutus, nec Tongilianus eſt, nec Rhinoceros; cui verò nimius naſus, ei nihil magis optare debemus, quàm majorem modeſtiam naſumque minorem, aut, ſi mavultis, brumam Moſcoviticam. Peracto ergò priùs Odorum ſacrificio, ſic naſum vobis perita Anatomiæ audacia reſerabit.

Ad naturam olfactûs meliùs intelligendam hæc obſervari debent;

1 Anteriores cerebri ventriculi.
2 Duo canales à cerebri dextrâ & ſiniſtrâ parte, qui deſinunt in formam mamillarum.
3 Rami nervorum expanſorum per hos canales; qui à nonnullis dicuntur membrana narium.
4 Os cribroſum propè concavitates oculorum, quod ſubjicitur proceſſibus, & oſſi frontis inſeritur: in quo duo meatus inſignes.
5 Meatus bini in ſuâ origine diviſi; duo ſcilicet ad fauces, duo ad naſum.
6 Cartilago procurrens inter hos meatus.
7 Membrana porrecta his meatibus ſecundum

dum nonnullos, seu potiùs *caro spongiosa*, quasi *operculum mamillarum* tantùm in respirantibus.

1 Nonnulli *angustè* statuunt organum olfactûs *inter* nervos & processus;

2 Alij in *Ventriculis*; sed malè, *quia*

1 Substantia cerebri non est apta ad sensationem.

2 Debet *ante* cerebrum collocari vis ejusmodi exploratrix.

3 Delectatio & dolor, quæ odores inferunt, non in cerebro sentiuntur.

3 Alij in *Nervis*; at malè, *quia*

1 Tunc perciperemus odores sine respiratione: cùm nervi hi diffundantur ad extremas partes nasi.

2 Experimur nos sentire odores in parte aliqua secretiori.

3 Instituti sunt ad tangendi, non olfaciendi, munus; nec eandem temperiem organa tactûs & olfactûs requirunt.

4 *Alii* sensus (qui habent medium externum) non consistunt in nervo, vt Auditus in aëre, Visus in humore.

4 Alij in *interiore parte nasi*, atque etiam in tota respirationis via, ad ipsa vsque interna viscera; sed malè, *quia*

1 Non est in nasi

1 Osse; cum sit sensus expers.

2 Cartilagine, quia tunc non o-

opus esset inspirare ad olfaciendum.

3 Tunicâ, cùm hæc porrigatur ad linguam aliasque partes, in quibus constat odores non sentiri.

2 Tunc fieret olfactio in intimis visceribus.

5 Alij in *processibus mamillaribus*; verè, *quia*

1 Nihil aliud est organum, vt ostensum est.

2 Nullum apparet aliud munus ad quod processus hi à natura instituantur.

3 Aristoteles (licèt nonnullis hâc in re dubius videatur) c. 2. de sens. & sensil. statuit organum olfactûs esse *circa cerebrum*; & lib. 2. de Gen. Animal. cap. 4. docet illud à cerebro *originem habere*.

4 Processus mamillares sunt naturæ odori cognatæ, scilicet calidi & sicci; atque ita organum aptissimum.



QVÆST. XIII.

An Medium & Organum olfactûs ab odore immutentur tantùm per speciem intentionalem? Aff.

RArum est, quod vel vni potest placere: mirum, quod omnibus: miraculum, quod & Hominibus & Numinibus. Virtus hoc

hoc præſtare non poteſt, quæ Dijs grata, inviſa eſt hominibus: non aurum, quod hominibus gratiſsimum, viliſsimum Dijs. Hoc præſtat ſolùm Odor ſuavis: hoc facilè præſtat Deorũ Thus; cujus odor, cujus pietas laudatur & ardet. Hoc maximè eſt in hominum votis, immò in Deorum. Quàm beata ergò Indorum patria, immò ara! quæ nativis precibus & ſuffitu ſupplici incaleſcit, quaſi incolarum crimina ſollicitè expiaret. Et certè magnæ ſunt virtutis odores, qui non blandâ fide ſæpè etiam ad ſepulchra nos comitantur, neque ipſa oſſa inodora relinquunt. Inter omnes priſci ævi jejunos philoſophos haud quiſquam alius odores magis amâſſe videatur, quàm Pythagoras; amârunt eos & alij, niſi in cibis: ille verò olentia olera & nefaſtum allium procacis fortitudinis deamavit. Quid mirum tamen, cùm vnuſquiſque hodiè ſit Pythagoras! & ardentiùs inflammetur amore Nicotianæ! cujus odor graviſsimus imitatione audaci, vt graviſsimus Cato in theatrum, intrat tantùm vt exeat. Sed ma-

vultis, ſcio, purgatiores roſarum delicias, aut violarum: ſic enim vel ſeveriſsimis placere novimus; immò quo magis naſuti eſtis, eò magis odorum ſuavitate capiemini. Et quoniam odores calefacti gratiùs redolent, ſic eos agitatione philoſophicâ calefacimus.

Odor eſt ſecunda qualitas ex certo temperamento primarum, in quo ſiccum comprehendit humidum: ergò

1 Eſt in ſolis mixtis; nam
- 1 Ariſt. ait de ſenſ. & ſenſil. c. 5. In Elementis nullus eſt odor.
- 2 Terra poſt nimiam ſiccitatem madefacta redolet ex permixtione humiditatis aquæ.

2 Res odoriferæ, dum calefiunt, magis redolent calore augente ſiccum, & decoquente humidum; & magis redolent tempore verno, quàm hyemali.

3 Aliquid requiritur humiditatis; nam
- 1 Rebus odoriferis, quas incendimus, humiditatis aliquid permiſcemus.
- 2 Si nimis torreantur, parùm vel nihil odoris emittunt.

Cauſa ejus
1 *Efficiens* eſt calor externus, à quo humidum attenuatur & ſuperatur;

2 *Mate-*

2 *Materialis* { 1 Humidum & 2 Siccum } eâ proportione, vt siccum comprehendat humidum.

Medium est { 1 *Aër*; vt patet. 2 *Aqua*; cùm compertum sit pisces escam olfactu explorare, antequam vorent.

Modus deferendi odorem; qui secundum nonnullos fertur

1 *Realiter in exhalatione*; at hæc opinio *reiicienda*, *quia*

1 Non semper datur exhalatio, nempè si

1 Res odorata ita sit *concocta*, vt non *oporteat* resolvi.

2 Ita *compacta* sit, vt non *possit* resolvi; (etsi hoc rariùs accidat.)

2 Pisces in aqua olfaciunt ad magnam distantiam; & tamen non potest per aquam similis exhalatio ferri, quin destruatur.

2 Realiter *sine* exhalatione, per multiplicationem realem; & ad aliquam distantiam; sed & hæc opinio *reijcienda*; *quia*

1 *Qualitates secundæ non sunt invicem activæ*; vt ergò color non producit colorem, sic nec odor odorem: quod immeritò nonnulli (magni nominis) negant contra notissimam philosophiam. Instantiam tamen dant in sono, qui sonum producit; at malè, *quia*

1 Non est qualitas secunda, sed prima; etsi non vna è quatuor tangibilibus.

 2 Ne-

2 Negandum eſt producere alium ſonum; ſed multiplicari tantùm intentionalirer poſt primi productionem.

2 Non neceſſe eſt vt multiplicetur per ſpecies poſt illam diſtantiam ſecundum ipſos; ergò neque ante illam.

3 Odor non poteſt eſſe in ſimplici elemento; cùm oriatur ex mixtione; vt nec color in aëre: ergò ille aër, in quo eſt exhalatio, non eſt medium.

4 Non poteſt educi ex potentia aëris & aquæ, cùm ſint naturæ odoribus contrariæ.

5 Si exhalatio contingat organum, non fit olfactio, quia non eſt medium.

3 Semper & tantùm *intentionaliter* (& ſic ſine exhalatione;) ſed & hæc opinio *rejicienda*; quia

1 Odorum interventu multa fiunt, quæ non niſi à ſubſtantia præſtari queunt; vt affectio cerebri, corruptio aëris, &c.

2 Homines reſpirantes vt odorentur, ipſam plerumque fumeam excretionem ad ſenſorium attrahunt; licet ipſa immutatio fiat per ſpecies.

4 *De ſubiecto in ſubiectum*; at hæc opinio *explodenda*, *quia* Eſt contra naturam accidentis: ſed fatendum eſt, manum poſſe recipere partes ſubtiles illius, cui ineſt odor.

5 Semper *Realiter* in exhalatione *ad aliquam diſtantiam*;

tiam; & posteà Intentionaliter (ſine exhalatione.) Communis hæc eſt, nec tamen perfecta opinio.

Organum verò ſemper immutatur intentionaliter, quia
- 1 Aliter olfactus careret medio externo; quòd eſt contra Ariſtotelem.
- 2 Senſibile poſitum ſupra ſenſorium non ſentitur.
- 3 Vultures olfaciunt ad tantam diſtantiam, vt olfactio tam accurata fieri non poſſit, niſi per ſpecies.
- 4 Ipſa exhalatio, licèt contingeret organum, tamen per ſe non poteſt concurrere ad ſenſationem; quia eſt ſubſtantia, & ſic non ſenſibilis.

6 Aliquando
- 1 *Realiter* (in exhalatione, non in medio;) *& intentionaliter.*
- 2 *Intentionaliter tantùm*; quia à natura ſatis concocta non indigent novâ reſolutione.

Atque hæc opinio verior & accuratior videtur.

QVÆST.



QVÆST. XIV.

An Somnus ſit affectio Senſuum? Aff.

Oratio habita, diſputationibus veſpertinis, cùm Opponentis partes ſupplerem, & Moderatoris munus annuum deponerem.



PRobo —. At quid dixi? Probo? contra Ariſtotelem & Veritatem parentes Philoſophiæ? quam deſerere ingratum eſt, impium perſequi! Vereor ſanè, ne ſi dominantis ſomni imperium negem, ſentiam tyrannidem; & vel inſanis vigilijs, vel ſomno noctivago ferri videar. At animam non adeò improbus invaſit ſopor, quo vel per ſomnum cœco impetu Ariſtotelem temerarem. Ea tamen fortuna, quæ huic muneri me primùm præfecit, eidem nunc feſtina præripit: cùmque adhuc Moderari liceret, jubet Opponere, non ſine augurio inſtantis fati; cui vt honeſtiùs occurram, victrici cau-

ſæ

ſæ cedo & Ariſtoteli. Suadet hoc nox ipſa; ſuadent Senſus; & vltra vires ſuas Rationē ſuadent. Sine ſomno enim & ipſa ratio inſania eſt,ipſa conſtantia vertigo; ſine ſomno omnes vigiliæ ſunt Siculæ; nec tam exanguem injiciunt pallorem occulta ſcelera, quàm vigiliæ. Hæ formam invadant, & Venus Megæra eſt;oculique chryſtallini nimijs vigilijs ruborem attrahunt, ſuiſque receſsibus deliteſcunt: quaſi pulchritudinem ſuam ſe amiſiſſe erubeſcerent, vel præ dolore non lachrymas, ſed ſanguinem emiſſuri eſſent. Vigiliæ non intellecto murmure aures complent, vt non vlteriùs admittant voces, ſed emittant; & nimis vltra naturam violatæ non audiant, ſed loquantur.Si naſo vigilanti nocturnos odores quiſquam attrahat, naſutus non erit, ſed polypoſus. Manus artifex, quæ velut inſtrumentum muſicum digitorum nervis, quaſi chordis, diſtenditur, delicatâ contactûs virtute præſtat. Si tamen nimis vigil delaſſetur, ſtupet non ſentit, &, quæ nervis pollet, enervis redditur. Molliſsima lingua facili naturâ

volubilis cùm amplissimum eloquentiæ cursum demensa est, ad extremum gaudet non facundiâ frui, sed silentio. Quid aliud exoptat ipse Sensus Cõmunis, qui cùm forensibus judicijs assiduè præsit, assiduè sibi vacationem postulat. Quid aliud exoptat fœcunda Phantasia? quæ quotidiè concipit, quotidiè parit, nec sæpiùs suscipit onus, quàm deponit. Quid aliud exoptat fides Memoriæ? quàm dormiendo oblivisci, vt fortiùs recordetur. Quid aliud denique exoptat imperatrix Ratio? quàm somno vinci, vt vincat omnia. Ecce imperium somni philosophicum; quo nil potentius, nil mitius agnoscit natura! Hôc vno Alexander se mortalem fassus est: hôc quisque se fœlicem agnoscat. Quapropter negotiosam hanc contentionum provinciam tandem excutio; cùm scire mallem naturam Ætnæ, quàm onus. Ad te ergò, ad te confugio Philosophia, cui & vigilias persolvi, & somnum debeo; vt per illas te scirem, per hunc agnoscerem. Optimè fatetur somnum, quisquis patitur. Indulgendum est

mihi;

mihi; indulgendum eſt vobis, philoſophicæ hujus deambulationis Comites Peripatetici, qui ita Senſibus indulſiſtis, quaſi Senſus etiam à ſeipſis percipi poſſent; & maximè amicâ conjunctione Senſibus Appetitum adhibuiſtis. *Oculi* ſphæras intelligentiâ noſtrâ circumvolvimus, ejuſque anatomiam oculo ſubjecimus. *Auris* tympanum non potuiſtis non audire. *Naribus* (præ amore veſtro) non indulſiſtis, ſed olfactui: cujus doctrinam, tanquam thuris odorem non-ingratum accepiſtis. Hucvſque progreſsi ſumus; & ſi vlterius pergendum eſſet Saporum delicias menſamque philoſophicam apponeremus. Sed cùm *nec guſtum*, nec *tactum* adhuc conſequuti ſimus, quid mirum, ſi moriamur, cùm animalia omnia iſtis ſenſibus deſtituta, & vitâ deſtituantur? Cùm tamen mors iſta perſonata ſit, non vera; non mors erit, ſed ſomnus; at qualis olim Endymionis fuit, quo philoſophiæ magis incubuit. Et licet de *lingua* diſſerere *non* liceat, illius ta-

men beneficio, hoc vnum proferam, cùm ſomno & philoſophiæ ſit indulgendum, Amici, Precor vobis fœlicem noctem.

Libri primi

FINIS.

LIBER



LIBER SECVNDVS DE HABITIBVS INTELLECTVALIBVS.


men beneficio, hoc vnum proferam, cùm ſomno & philoſophiæ ſit indulgendum, Amici, Precor vobis fœlicem noctem.

Libri primi
FINIS.

LIBER



LIBER SECVNDVS DE HABITIBVS INTELLECTVALIBVS.



LIBER SECVNDVS, DE HABITIBVS INTELLECTVALIBVS.

Oratio habita, cùm Aristotelis Ethicorum librum sextum interpretari inciperem, cIↄ Iↄcxx.



QOvsque tandem, Stagirita, famæ tuæ patientiâ abutemur ? quousque expirantis facundiæ brevis vis æternitatem tuam miserè contrahet ? De te loqui an parùm erit, quem loqui non magis possumus, quàm superare, nisi & immortalitatem tuam violemus solenni infamiâ ? Ignoscas tamen, ob-

obſecramus, audaci conſuetudinis religioni & impotentiæ devotiſsimæ, pietate inſanâ te proſequenti; ignoſcas, quæſumus, vt, per te, non ingrata— ſtet pro ratione voluntas. Vt eam tamen ſaniorem reddam, non ipſum intuebor Ariſtotelem, ſed Ariſtotelica: ſufficient mihi concreta encomia; & pro Ipſo, operoſam ejus imaginem, Intellectum, contemplabor. Sic Solis fulgor ſe videndum exhibet, dum per mitiſsima vndarum ſophiſmata ipſum videmus, cùm non videmus. Gaudeo verò fœlicitate hâc Ariſtotelicâ de hoc ornatiſsimo monſtro dicturus, quòd idem ſit & argumentum & velut numen: quô non tàm correptum, quàm inſtructum me ſentio; cujuſque fœcunditas numeroſâ prole ſuperbiens gaudenti literaturæ dominatur. *Intelligentia* artifex curioſâ indagine primordia rerum perſcrutatur, & reluctantis naturæ apocalypſis eſt & exploratrix: ſine qua intellectus cadaver eſt, & non--intellecta natura chaos. Primæva lux in antiquiſsimo mundi crepuſculo catholicas illas & implicatas naturæ fodinas

fodinas non ita perlustravit, ac ista vis: quæ etiam illustrioris Phœbi ignavum radium & obtusum dedignetur. Hæc, conjugato miraculo, intellectûs specillum est & oculus; immò quæ fugiunt oculum agili subtilitate persequitur & penetrat. Inquieta concurrentium atomorum agmina dissipat & sistit: dum cujuslibet separati ridiculam molem & obstinatam compagem otioso imperio contemplatur. Quid illas memorem cœlestes Intelligentias, seu potiùs Sisyphos repetito volumine fatigatos, aut, si mavultis, catenatos Prometheos, quibus, molestâ immortalitate, infœlix cœlum fit Caucasus? Nostra interim Intelligentia risu excipiens numellas has & cœlestia patibula, Vtriusque orbis spatia liberrima speculatur. Tanti verò nominis æmula & libertatis *Scientia* fœlix, quæ rerum potuit cognoscere causas, perverso virtutis artificio, diversissimâ nobiliq; ambitione ad famam anhelat. Hæc nihil approbat, nisi quod probet: nihil statuit, nisi cùm testis adsit immota Naturæ conscientia. Videor mihi videre

dere Scientiam ſtabilem adamantino quadrato inſidentem : dùm ſententiam ſeveram, quam literarum orbi imperatrix præſcribit, lentâ ſtabiliunt majeſtate Veritas immitis & inexorabilis Æternitas. *Sapientia* verò auguſtiſsima non novam gloriam ſed veram quærens, quod illæ divisìm, vna præſtat religiosâ imperij & virtutis avaritiâ. Cœlum fatumque & quicquid magnum eſt huic cedunt; numinumque catervæ non tàm cœlo ſuo, quàm ſapientiâ ſuperbiunt. Orbibus ſuis intelligentiæ imperant : ipſis numinibus ſapientia. Quæ dùm intuetur cogitabunda *Prudentia* rempublicam cœlorum linquens, artificem mortalium monarchiam & fœlicitatem cautam meditatur. Ne ergò vel inæqualis cura ipſam opprimat, vel nimijs artibus illi illudat æquivoca mortalitas, comitibus velut Gratiarum ſatellitio ſtipata eſt, vt omnia rectâ, perſpicaci & benignâ majeſtate adminiſtret. Nec deeſt tamen, in quo belliſsima *Artis* ſolertia ſe exerceat, quæ non tàm edit opera, quàm creat miracula; cœlumque non imitatur,


tatur, ſed fabricat; nec tamen ab Intelligentijs emendicaturum motus, ſed cœlum automaton, & animata ſydera. Hæc nunc artifici vidimus acta manu. Ineptè Anatomici cordis, jecinoris, & cerebri triumviratum celebrant, cùm penes Manum ſit dictatura: quæ artem ſuam non extra ſe ſic conſulere videtur, vt non ampliùs, mendaci ſermonis humilitate, manum operari, ſed Cogitare dicamus. Quicquid molem jactat, patitur virtutem artis: hujuſque triumphus eſt, quicquid immenſum eſt. Cœlum & mare domuit ars nautarum: illius luminibus extremæ oceani ſpatia emetiendo; ijſdemque ſpatijs monachas ſtellas explorando, meridionali cœlorum eremo latitantes. Atque hæ ſunt virtutes Rationis: hæc Intellectûs Academia: quam vlteriùs perluſtrare, non progredi eſſet, ſed regredi. Etenim & hîc auribus veſtris reſonat *Vocum Porphyrianarum* animata Echo. *Intelligentia Generis* amplitudinem refert: cùm humanum genus numeroſum prodigâ beatitudine donaverit; nec quiſquam ferè reperiatur, qui, hôc

rationis imperio, primordijs naturæ non dominetur. Contractior verò *Scientia* ostendit *Speciem*: quæ non voraci oculo pulchritudinem suam prodit. Intelligentia homines, Scientia viros indicat. Inter hos tamen quanta *Differentia*! quæ vnica & severa est *Sapientia*. Etiam & *Prudentia* paucorum *Propria*. *Ars* verò cui non facili benignitate *Accidit*? Expeditiùs occurrit artifex, quàm homo: magisque artibus, quàm coloribus distinguimur. Provocant verò aspectum vestrum & hîc *Prædicamentorum Collegia*. *Substantia* & *Intelligentia* sunt fundamentum & gymnasium: sine illo corruit structura Accidentium; sine hoc Literarum. *Scientia* quantacunque est, *Quanta* est; nec magis certa, quàm finita. *Sapientia* non tàm nominat, quàm efficit *quales* vnica Græcia olim jactavit: quasi reliquus orbis vel nullum vel tantùm octavum protulisset. Fœcunda *prudentia* non sua solùm, sed & *aliena* curat; non quòd curiosa sit, sed quòd pia. *Actio* & *Passio* non magis effectus *Artis* sunt, quàm emblemata. An reliquæ prædi-

camentorum appendices, seu *Gilberti Porretani aulæ* hanc *Academiam* ornent, vobis ipse edicat. Conspicuæ *Demonstrationes Scholæ* sunt illustrissimæ, quas æmulæ beant virtus & scientia. *Anima* ipsa *Theologiæ schola* est philosophica, quam superat *Bibliotheca* sublimis *virtutum Intellectûs*. Hæc cœlo proxima est, immò in hâc cœlum! Hîc hospites Deos intueamini ludibundâ divinitate inerrantes! Hîc varios intueamini discursus *Planetarum*! *Intelligentia* antiquaria *Saturno* æmulatur, principia rerum explorando. *Sapientia Iovem* superat & perficit. Vis *Martis* ignea *Scientiæ* cedit, cujus vis acutior & magis enthea. *Intellectus* ipse *Solem* refert, cùm per Intellectum omnia videamus: sed & eundem longè superat, cùm & seipsum intueatur, ipsumq; Solem sine Sole. Casta *Venus*, qualis cœlestis est, summa est *Prudentia*, Ars item quid aliud, quàm ipse *Mercurius*? *Luna* Intellectus non est, at ei cognata est, *Voluntas* est humili cœlo gaudens; quæq; dum castigato motu orbium intellectûs circumvolvitur, meretur cœlum, quo fruitur. Virtutis hoc cœlum non cerebri somnium, sed im-

imperium eſt. Quod cùm vobis debeam, viri ornatiſsimi (quibus etiam Ariſtotelem & capita hæc Ariſtotelica longè chariſsima debeo); vt & intelligendo & exprimendo ſim, judiciorum veſtrorum quàm conſona ſit benignitas virtuſque Politica, per quas hanc Cathedram & Philoſophiam repeto, intellectûs virtutes gratiſsimas explorare gratiſsimus conſeſtìm properabo.

QVÆST.



QVÆST. I.

An detur habitus principiorum? Aff.



Eu, quantum est, quod nescimus! immò quantum est, quod novimus! *Principia* ignoramus, exploravimus tamen ænigmata. Quid hoc? Intelectus in intellllectu? An Intellectus & Cœlum erit & Intelligentia? quàm propè ænigma solvimus? Si intelligimus, de cerebri cœlo sublunari, solvimus. Cœlum nihil videt; sol in cœlo omnia: intellectus nihil videt; *Intelligentia* in intellectu omnia. Intellectus est animæ Intelligentia: *Intelligentia* est anima intellectûs; & quasi numen; ideóque non tàm perscrutandum, quàm implorandum. Quod si adfuerit & primo impetu nos solertes dederit, 1 pro Sphynge & Oedipo erit philosophia; quæ sic totum solvit.

1 Intel-

Intellectus est vel

1 *Agens*, potentia ſcilicet, quæ non verſatur circa phantaſmata, ſed circa intellectum poſſibilem; Cujus actus duo ſunt;

1 *Productio ſpeciei intelligibilis*, per quam repræſentatur intellectui objectum materiale.

2 *Illuſtratio phantaſmatū* per eandem actionem circa intellectum poſſibilem.

2 *Poſsibilis*, potentia nempè animæ rationalis ei conceſſa ad intelligendum res omnes; Atq; iſte *intellectus* appellatur *cognoſcitivus*, eſtque primum principium proximum intelligendi, & *Subiectum habituum*.

Species intelligibilis & *habitus intellectualis*

1 Conveniunt, *quia*

1 *Difficulter* ſunt *mobiles* à ſubjecto.

2 *Determinant potentiam* ad operandum circa *tale* objectum, cùm anteà fuerit indifferens ad operandum.

2 Differunt, nam

1 *Habitus*, (vtpotè Intelligentia) determinat potentiam ad *benè* operandum ſimpliciter: *Species* verò *intelligibilis non ita*; quia intellectus informatus ſpecie ſæpè errat.

2 *Ha-*

2 *Habitus* determinat ad *facilè* & delectabiliter operandum: *species* tantùm ad *simpliciter operandum.*

1 *Species repræsentat*
2 *Potentia* intellectiva *percipit* } *objectum.*
3 *Habitus facilitatem* præstat.

Necessitas habituum intellectualium oritur ex naturâ intellectûs; Nam

1 Potentia intellectiva, cùm sit rationi subdita quoad exercitium suorum actuum, potest præsente objecto operari circa aliud, vel operationem suspendere.

2 Intellectus habet aliquam difficultatem, quia indiget operatione sensuum ad intelligendum: qui, cùm sint organicæ virtutes, non sine difficultate operantur.

3 Intellectus ex parte sua licèt difficultate positivâ careat, negativam habet; quia non est ex se, sed exercitatione facilis.

4 Experientia testatur crebris actibus facilitatem comparari; quam non præbent formaliter ipsi actus statim abeuntes, sed quid aliud ab eis in potentia relictum; quod est aliquid

1 *Superadditum*; quia non semper inest potentiæ.

2 *Reale*; quia realem modum operandi potentiæ tribuit.

5 Intellectus non solùm circa diversa operatur, sed & diversis modis; non tantùm circa ve-

rum vel falsum, sed & per assensum vel dissensum, & per assensum verum vel erroneum. Quare necessariò indiget habitu determinante, vt debito modo operationem exerceat.

6 Duæ sunt intellectûs operationes, *Apprehensio* & *Iudicium*; quarum illa à *specie* dependet, hæc ab *habitu*. Cùm enim *apprehensio* sit tantùm *materialis causa judicii* (intellectus enim non judicat, nisi de re apprehensâ) ideóque non sufficienter determinet intellectum ad judicandum : præter species aliquid necessariò requiritur ex parte intellectûs, à quo per modum *efficientis* determinetur ad judicium ferendum. Hoc, cùm nec objectum nec species esse possit, cùm tantùm apprehensioni hæc inserviant, vnicum superest, nempè habitus, à quo difficultas intellectûs in judicando vinci possit.

7 Cùm repræsentatio rerum sit naturalis, & ex simplici comparatione speciei ad objectum desumpta, non dependeat ab vsu, nec per illum possit crescere; (repugnat enim simplicitati specierum, cùm simul totæ producantur, recipere magis aut minùs) : ponenda est alia qualitas, per vsum operum & actuum frequentationem acquisita, quæ propriè est habitus.


Dignitas habituum intellectûs ex ipso nomine elucet; appellantur enim *virtutes* intellectûs, vt enim

I *Morales*

- 1 *Morales* perficiunt actum in ordine ad vltimum *finem*, & sic sunt præstantiores intellectualibus: sic
- 2 *Intellectuales* perficiunt actus humanos secundum aliquam rationem, vt est humanus, scilicet veritatem; licèt non secundum adæquatam rationem; & sic sunt præstantiores ob dignitatem majorem *obiecti* potentiæ apprehensivæ, quod est nobilius objecto appetitivæ.

Numerus habituum ostenditur ex illorum

- 1 *Obiectis*
  - 1 sic; Intellectus infallibiliter percipit *verum*
    - 1 Vniversale
      - 1 *Sine medio*, per *Intelligentiam.*
      - 2 Per *Causam* vel
        - 1 Superiorẽ, per *Sapientiam.*
        - 2 Inferiorẽ, per *Scientiam.*
    - 2 Singulare
      - 1 *Agibile*, interno actu per *Prudentiam.*
      - 2 *Factibile*, externo opere, per *Artem.*
  - 2 sic; Intellectus percipit objectum
    - 1 Necessarium, scilicet
      - 1 *Principia*, per *Intelligentiam.*
      - 2 *Cõclusiones*, per *Scientiam.*
      - 3 *Principia et Cõclusiones*, per *Sapientiam.*



- 2 Contingens
  - 1 (Extra hominis poteſtatem, per Opinionem.)
  - 2 In hominis poteſtate
    - 1 In *Actione* per *Prudentiam.*
    - 2 In *Effectione* per *Artem.*
- 2 *Naturâ*; eſt enim habitus vel
  - 1 Simplex
    - 1 Sine medio, *Intelligentia.*
    - 2 Per medium
      - 1 Apodicticum, *Scientia.*
      - 2 Dialecticum
        - 1 Actionis, *Prudentia.*
        - 2 Effectionis, *Ars.*
  - 2 Compoſitus, *Sapientia.*
- 1 Hinc *rejiciuntur*
  - 1 *Fides humana* (quâ, fide digno credimus)
  - 2 *Opinio*, (quâ probabilibus aſſentimur)
    - quia *non ſunt infallibiles.*
  - 3 *Experimentalis cognitio*; quia *non eſt intellectualis.*
- 2 Huc *reducuntur* habitus *ſupernaturales* (Ariſtoteli ignoti), vt
  - 1 *Fides divina* ſine diſcurſu,
  - 2 *Donum intellectûs*
    - ad Intellectum.
  - 3 *Sapientia*
  - 4 *Scientia*
    - ad ſimiles habitus naturales.

His neceſſariò præmiſſis ad totam doctrinam inſequentem

ſequentem accuratiùs intelligendam, *natura* primi *habitûs*, ſcilicet *Principiorum* fœliciùs patebit. Cujus conſiderari debet

1 *Nomen*; appellatur enim νοῦς (mens) *habitus Principiorum*, *Intelligentia*, & *Intellectus*; quia nobilior virtus non alio nomine inſigniri debuit, quàm ipſius potentiæ. Duplicem verò modum obſervat potentia intellectiva in ſuis operationibus; vel enim

1 Procedit ex principijs aliquibus per *diſcurſum*; vel

2 *Simplici* quodam *intuitu* veritatem percipit per ſolam terminorum notitiam. Atque hæc operatio dicitur *intellectus ſimillimus modo* intelligendi *Angelorum*.

2 *Objectum*; ſcilicet *veritas immediata*; hoc eſt, propoſitio, cujus prædicatum abſque vllo medio inhæret ſubjecto.

3 *Actus*
- 1 Materialis, *Apprehenſio* terminorum.
- 2 Formalis, *Iudicium*, ad quod prior ſuâ naturâ ordinatur.

4 *Modus tendendi in objectum* (à quo formalis ratio ejuſdẽ habitûs accipitur) eſtq; per immediatam comparationẽ ad ipſam veritatẽ rei; reliqui verò habitus per media procedunt.

5 *Definitio*; ſcilicet, Habitus Principiorum eſt virtus intellectualis, per quam potentia intellectiva determinatur ad aſſenſum princi-

 piorum

piorum per se evidentem, faciléque eliciendum. (Sic potentiæ operandi difficultatem superat habitus.)

6 *Necessitas*, ad intellectûs

1 *Indifferentiam determinandam*; quam habet, quia dependet à voluntate : quæ vt potest intellectum applicare ad assentiendum, ita potest distrahere & suspendere assensum; quam libertatem sensus non habet (proposito enim objecto, sensus non potest non assentire) : atque ideò sensuum non dantur habitus.

2 *Imperfectionem tollendam*; quia intellectus in principio, vt experientia testatur, difficulter intelligit etiam vniversalissimas veritates.



QVÆST. II.

An habitus Principiorum sit acquisitus? Aff.

QVod semel tantùm agimus, vix benè agimus: magisq; impetus est, quàm artificiũ. Fortis est, non qui fugavit hostem, sed qui exercitum: magisq; pugnâ, quàm victoriâ gloriatur. Hanc sæpè ignava

ignava tribuit fortuna : illa ſolius eſt virtutis. Sic pugnat intellectus ; non ſic vincit. Natura intellectui orbem conceſsit : ſed ecce bellum, non imperium ; nec ſceptro vtendum eſt, ſed enſe. Intellectus ſolus intelligit orbem ſuum ; intellectus ſolus non regit. Hoc opus, hic labor eſt — : quem juſtiùs præſtat majeſtas, faciliùs induſtria. Intellectus ferrum eſt ; vſus verò & acies eſt & manus : quæ repetito conatu & ſubtiliori ſic nodum ſcindet.

Senſus quæſtionis eſt de modo generandi ſivè producendi habitum principiorum ; an ſcilicet ſimul infundatur cum ipſa anima ; an vt intellectum omni ſpecie intelligibili alijs habitibus nudum accipimus, ita & nudum hoc habitu accipiamus.

Opinio 1. aſſerit *Eandem entitatem potentiæ*, prout *ſimpliciter* eſt principium actuum cognitionis, eſſe *intellectum* : vt verò *benè* diſponit animam ad hoc, vt per ipſam intelligat, & aſſentiatur, ſic *formaliter* eſſe *habitum* principiorum. Hanc ſententiam amplectuntur Philoſophi aliquot clariſſimi. Refutatur verò

1 Authoritate Ariſtotelis : qui diverſas eſſe qualitatis ſpecies ſtatuit potentiam

tentiam & habitum.

2 Ratione; quia potentia ex natura suâ est libera: habitus verò ex sua natura ordinatur ad potentiam illam dirigendam, eamque libertatem determinandam.

Opinio 2 asserit *Acquisitis speciebus* primorum *Principiorum* per abstractionem intellectûs agentis, illicò *profluere habitum* principiorum ab ipsa natura intellectûs possibilis, per quem possit de ijsdem principijs judicium ferre; atque ita nec à nudâ fluere naturâ, nec per actus acquiri; sed *præsentibus speciebus*, ante omnem judicativum actum, *emanare naturaliter*. At refutatur ratione;

1 Non minùs enim dependet potentia ab objecto in sua operatione, quàm habitus; ab eodem enim objecto, tàm illa, quàm hic specificantur: sed ad emanationem potentiæ ab anima non requiritur præsentia specierum; ergò neque ad emanationem habituum.

2 Prima apprehensio fit per præsentiam specierum: cùm verò primam apprehensionem non statim sequatur facilitas, manifestum est, speciebus præsentibus non necessariò habitum fluere.

Opinio 3 asserit

A principio (cùm infunditur anima) habitum *esse naturalem*; sed refutatur

1 Authoritate Aristotelis. 2. poster. c. vlt.

2 Ratione; Natura enim non confert nisi simpliciter necessaria; habitus verò non ordinantur simpliciter ad operandum, sed cum facilitate.

4 *Esse acquisitum*; & verè, probatur enim ex illius modo producendi;

1 *Intellectus* enim *agens* illustrat & *abstrahit species* intelligibiles à phantasmate.

2 *Imprimit species* in intellectum possibilem.

3 *Intellectus possibilis apprehendit* terminos, ex quibus principia componuntur.

4 *Iudicium* sequitur & assensus immediatus intellectûs possibilis; & per talem assensum *generatur* habitus principiorum, quemadmodum per frenquentem repetitionem ejusdem assensus *perficitur*.

Sic *habitus principiorum* potest dici

naturalis { 1 Inchoativè. 2 Non formaliter.

Probabile est, quòd ponendus sit habitus pro

omnibus etiam vniversalibus principijs: nam, licèt intellectus, vt ijs assentiatur, non habeat aliquam difficultatem positivam, potest tamen dici habere difficultatem negativam, scilicet, non-facilitatem, facilitatem verò, per exercitationē, comparare. Quæ

Facilitas est modus quidam, quo potentia redditur expedita ad operandum cum delectatione.



QVÆST. III.

An pro diversitate specifica Principiorum, diversitas habituum sit statuenda? Aff.



VAria percipit intellectus non varius, atqui varijs modis. Oculum nobilitate superat, sed & solicitudine. Oculus est intellectus corporeus: intellectus oculus incorporeus. Videmus naturæ beneficio agili, immò expeditiùs, quàm oculi ictu: intelligimus verò tàm corporeo molimine, vt intellectus non elevare corpus, sed esse videatur. Cùm *Geometriæ* spatia emensi sumus, alio opus est intellectu ad ediscendum contextum

Orbium

Orbium. Cùm *Grammaticæ* manu obstetricante balbutiem superavit infans lingua; novo indiget *Dialecticæ* organo, novâ ratione, vt fruatur ratione. Qui *Musicam* hospitio auris erudito excepit, novo eget intellectûs quasi oracoustico; quo *sphærarum* colludentium *accentus* inauditos percipiat. Sic cum prioris disciplinæ incunabula spreverit, ad novam repuerascit elementarius intellectus. Cui tamen, in tantam operum varietatem, varij subveniunt habitus non-inexorabiles; immò quandoque facilitate parasiticâ ei famulantes. Horum ope & varietate indiget intellectus & fruitur. Quam fœlicem inopiam voluit naturæ arbiter, vt modestâ beatitudine gauderet intellectus se ab anima, licèt non à numine, emanasse. Hanc variteatem sic statuit natura, sic ostendit Philosophia.

Sensus quæstionis; An vnus sit habitus pro cunctis principijs, quemadmodum vna est potentia visiva pro omnibus visibilibus; vel, sicut scientiæ distinguuntur pro diversitate conclusionum circa diversam materiam, ita & constituendus sit alius habitus pro principijs Mathematicis, pro Philosophicis

 cis

cis alius, & ſic pro diverſis diverſi? Cujus difficultatis veritas his concluſionibus patebit.

Concluſio

1 *Eadem* eſt ratio formalis omnium principiorum *generica* (ſcilicet *immediatus aſſenſus*); non verò ſpecifica.

2 *Habitus principiorum* dividitur (vt genus in ſpecies) in *ſpeculativum*, qui appellatur *Intellectus*, & *practicum* qui appellatur *Syntereſis*; *quia*

1 Habitus principiorum *non habet tantam extenſionem à potentia intellectivâ*, vt poſſit ſub eadem ratione vniverſali objectivâ practicum & ſpeculativum comprehendere: cùm *non tàm latè pateat ac intellectus*, qui ſe extendit ad omnes veritates.

2 Habitus principiorum (vt reliqui habitus) ſpecificè diſtinguuntur per *objecta*, ſcilicet veritatem practicam & ſpeculativam; *quæ ſpecie differunt*; cùm illa ex natura ſua ordinetur *ad operandum*, hæc verò *non*. Adeò vt manifeſtum ſit à diverſis habitibus apprehendi hoc principium ſpeculativum, Totum eſt majus ſuâ parte, & practicum hoc, Bonum eſt proſequendum.

3 Pro *cujuſlibet* ſcientiæ principijs *diverſi* ſunt habitus conſtituendi Hoc oſtentur

tur *ex natura*

1 *Potentia*, quæ habet ſe *vt materia* per diverſas formas determinabilis à diverſis agentibus; cùm *habitus* habeat ſe *vt forma*, & objecta vt agentia: forma verò eſt magis determinata, quàm materia, nec poteſt niſi ad *vnum* actum *ſecundum ſpeciem* ſe extendere; quia rationem habet vnius determinati actûs.

2 *Habitûs*, qui ponitur in potentia ad ſuperandam difficultatem; ita vt, vbi occurrit nova difficultas, ibi novi habitus ſint ſta uendi: ſed circa principia diverſarum ſcientiarum nova occurrit difficultas, vt experientia teſtatur.

3 *Habitûs ſcientiarum*; qui habitus ſpecificè diſtinguuntur per *principia*; (in horum enim *aſſenſu* conſiſtit ratio formalis aſſentiẽdi *concluſionibus*) ergò & *ipſorum principiorum* habitus. Aſſenſus verò principiorum hujus & illius ſcientiæ ſpecie diſtinguuntur, quia diverſam certitudinem & evidentiam ſortiuntur; ergò non poſſunt ſub vno habitu contineri.

Animadvertendum verò, Ariſtotelem 6. Ethic. cap. 3. *vtrumque* habitum, ſcilicet ſpeculativum & practicum comprehendere ſub nomine *Intellectus*;

vbi loquitur de ijs tantùm *in genere*, quatenùs ſcilicet *eodem* modo verſantur circa *propria* objecta, nempe per *ſimplicem* aſſenſum *ſine diſcurſu*.



QVÆST. IV.

An Experientia requiratur ad cognoſcenda prima principia? Aff.

EXperientia ſcala eſt naturæ: cujus infimus gradus eſt ſenſus, cujus ſummus eſt intellectus. Eſt mundi axis, à centro procurrens ad polos. Sapientem videtur imitari, dum ex minimis quæ percipit, maxima colligit. Vt medius homo, ita & experientia, inter ſenſum bruti & Angeli rationem. Radius eſt ſolaris, à ſole ad oculum protenſus: niſi quòd deſcendat radius, experientia aſcendat. Principium ejus eſt humillima prudentia, finis altiſsima ſapientia: illa ſingula explorat, hæc ſumma. Atlas eſt philoſophicus, cujus pes terram premit; ſed ſublimi ferit ſydera vertice, immò cervice, cœlo ipſo recondens, ſeu potiùs

tiùs concutiens illustre caput. In republica hac sublunari ita se gerit, vt meritò Iovi sit à secretis, & vtrique æquè explorata sint rerum primordia. Scientiæ Fecialis est, rerumque genealogias repetere didicit vltra Deucalionem & Arcades. Huic vniversa natura & philosophia non magis nodosa est, quàm arbor Porphyriana. Sine experientia balbutimus, non philosophamur: hæc verò & alias expedit difficultates, & hanc, An experientia requiratur ad cognoscenda prima principia.

Sciendum ergò quòd *Principia* sint vel

1 *Communissima*; quæ non indigent experientiâ, (secundum aliquos) nisi inquantum apprehensio terminorum non fit sine sensu.

2 *Particularia*; quæ nobis plerumque sunt ignota, & ita dependent ab Experientia; quam alij tamen ad vtraque principia requirunt.

Actus *cognoscendi* triplex est

1 *Simplex apprehensio* terminorum.

2 *Complexa apprehensio* conjungens terminos sub forma propositionis.

3 *Iudicium*, quod fert intellectus de propositione apprehensâ.

Nonnulli

Nonnulli verò putant *experientiam requiri*

1 *Tantùm* ad *primum* actum ; Alij

2 *Etiam* ad *secundum*, scilicet, apprehensionem *compositam*, non tamen omnem, sed tantùm *primam*, quæ concurrit ad generationem habitûs ; quo genito, non ampliùs necessariam esse putant experientiam ; Alij

3 *Tantùm* ad *tertium* ; & hi distinguunt habitum in 1. Apprehensivum, & 2. Iudicativum, sed frustrà, *quia*

1 *Non* ponitur duplex habitus pro apprehensione & judicio *conclusionis*.

2 Apprehensio non est propter se, sed præcisè propter judicium, cujus materia est quasi objectum ejus, ita vt vnus habitus ab vtroque generetur : nec apprehensio producit habitum, nisi adveniente judicio.

Inductio numeratur ab Aristotele inter argumenta probabilia ; cognitio verò principiorum est summè necessaria. Sciendum ergò, quòd *Inductio judicanda* sit *ex modo procedendi* ; nam

1 Si imperfectè fiat ex materia *probabili* vel contingenti, est tantùm *probabilis*, & ita ab Aristotele vsurpatur ; sed

2 Si sit in *certa* materia enumeratio tantùm quorundam, *ex quibus* constat *sic* rem se habere *in cæteris*, *necessaria* est ; quâ evidenter probantur à posteriori multa principia scientiarum.

Con-

Conclusio 1. *Non* requiritur experientia ad primos assensus principiorum *ex propria illorum conditione*, quia

1 Sunt per se nota lumine naturali.

2 Certitudine & evidentiâ superant notitiam experimentalem.

Conclusio 2. Ad primam *tamen* principiorum notitiam *requiritur*;

1 Scilicet ad *principia*

1 *Universalia*, licèt *non tantâ necessitate.*

1 *Communissima*, *non simpliciter necessariò*; *utiliter tamen*, cùm hâc comparetur facilitas; & experientiâ deficiente non sit adeò firmus assensus.

3 *Particularia*; quia multa sunt, quorum veritas aut ignoratur, aut confusè cognoscitur.

2 Ad *omnes actus*, ut patet ex imperfectione intellectûs, cujus lumen juvatur *ex parte*

1 *Objecti*, quo reddatur *fortiùs*; *Experientiâ.*

2 Ipsius *potentiæ*, quâ *expeditius* reddatur; *Habitu.*

3 Tantùm *ut medium extrinsecum*, & solùm *quoad nos*; qui scilicet experi-

P entiâ

entiâ ſenſuum indigemus ad veritatem principiorum capiendam. Cùm enim dicitur, quòd principiorum cognitio ſit immediata, intelligitur reſpectu medij intrinſeci & per ſe, non cujuſque modi.

Ordo mediorum, quibus principia cognoſcuntur;

1 Senſus.

2 Memoria.

3 Experimentalis inductio.

4 Habitus principiorum.

Vlteriùs verò animadvertendum,

1 Inter cognitionem terminorum & principiorum *non* intercedere aliquod *medium à priori*.

2 Intellectum *non* poſſe *definitè* componere vel dividere hoc vel illud, *niſi* adjuvetur *experientiâ*.

3 *Experientiam*, cùm incerta ſit & fallax, *non* poſſe eſſe *cauſam cognoſcitivam per ſe*, *ſed* poſſe eſſe *inſtrumentariam*; aut *ſine qua non*.

4 Experientiam eſſe *neceſſariam* ad ſcientiam, quæ comparatur *inventione*; & *ad aliquas* quæ *doctrinâ* comparantur, vt ad medicinam & ad naturalem philoſophiam: ad aliquas verò non, vt ad Aſtrologiam, aut primam philoſophiam.

5 Ad cognoſcenda prima principia *non ſemper* requiri *experientiam formalem*, quæ ex multis

tis singularibus cognitis constat; sed *suffi-cere virtualem*, quæ licèt sit vnius singularis perceptio, multis tamen æquivalet perceptionibus.



QVÆST. V.

An evidentia sit de essentia Scientiæ? Aff.

NOx est; ergò sol non lucet. Vbi sol lucet, nox non est: vbi Scientia lucet, obscuritas non est. Intellectus est oculus; scientia visus est; quod scimus, videmus; quod videmus, evidens est. Scientia Angelorum etiam sine oculis est intuitus. Scire Deum, non est causam ejus cognoscere, quæ nulla est: sed cognoscere, quòd causam non habeat, quod evidens est. Deum scit, qui ipsum intuetur; immò non qui ipsum, sed qui opera. Ille nimij luminis caligine involvitur; hæc oculis patent: Ita vt quandoque scire sit sentire. Colores visum excitant; sed ipsos lumen. Res ipsæ scientiam

præparant, ſed illuſtratio perficit. Cognitio obſcuri eſt obſcura, vt ridicula lux ligni putridi in tenebris; videmus eam, nec tamen alia videmus per eam. Scientiam tenebroſam Cupido refert; qui ſummæ fuiſſet pulchritudinis, niſi defuiſſent lumina. Sed cùm Rhetorica ſit tantùm Color veritatis, ipſum verò Lumen ſit philoſophia; hæc evidentiam Scientiæ ſic illuſtriorem reddet.

Scientiæ definitio. Scientia eſt cognitio vera & certa rei neceſſariæ per propriam cauſam.

1 *Cognitio* genus eſt; atqui cognitio duplex eſt;
   1 *Actualis*, qui eſt aſſenſus concluſionis;
   2 *Habitualis*, habitus per eam genitus; atque hæc cognitio eſt, quæ in definitione intelligitur. Eſtque

2 *Vera*; ſic diſtinguitur Scientia ab *Errore*;

3 *Certa*; ſic ab *Opinione*, cui non repugnat ſubeſſe falſum;

4 *Rei neceſſariæ*; ſic ab *Arte & Prudentia*, quæ verſantur circa contingentia;

5 *Per Cauſam*; ſic ab *habitu intellectûs*, qui aſſentitur ſine medio, & à *Scientia à poſteriori*, quæ per effectum aſſentitur.

Quæſtionis ſtatus. An particula [*Evidens*] *addidenda* ſit definitioni? quod affirmandum eſt. Imprimis verò diſtinguendi occurrunt iſti termini;

1 *Cer-*

1 *Certitudo*, quæ est firma adhæsio intellectûs alicui objecto absque dubitatione vel formidine; est verò duplex

1 *Apparens*, quando intellectus adhæret ex ratione probabili;

2 *Vera*, cùm propter firmam rationem, aut infallibilem. Hæc intelligitur.

2 *Necessitas*, in ordine ad propositionem (quæ hîc intelligitur) est determinatio intellectûs ad veritatem, vt impossibile sit aliter se habere.

3 *Evidentia* est *manifestatio veritatis* sub claritate alicujus luminis; Hanc habent
- 1 Principia, per se.
- 2 Scientia, participativè à principijs.

Evidentiæ variæ occurrunt divisiones, quas non negligere operæpretium erit; *Evidentia* enim est

vel
- 1 *Visionis*; sic rusticus intuetur eclypsin;
- 2 *Intelligentiæ*; sic Astrologus eandem intuetur. Hæc intelligitur.

vel
- 1 *Objecti*; hæc strictè principiorum est, quæ scilicet sunt per se nota.
- 2 *Cognitionis*, quæ est ipsa claritas perceptionis rem penetrantis. Hæc intelligitur.

vel
- 1 *Illativa* ex forma syllogistica; sic argumenta sivè vera, sivè falsa, habent

bent

bent evidentiam.
2 *Probativa*, tantùm virtute propositionis evidentis & veræ. Hæc intelligenda est.

Evidentia ergò *est manifestum judicium* alicujus rei, apertam illius cognitionem exprimens.

Scientia verò ipsa dupliciter consideratur
1 Communiter, vt abstrahit à suis speciebus.
2 Secundum suas species; & ita duplex est, Subalternans, & Subalternata.

Subalternatio fit ratione
1 *Finis*; sic Militaris subalternatur Politicæ;
2 *Principiorum*; sic Medicina Philosophiæ;
3 *Subjecti*; sic Musica Arithmeticæ per numerum *sonorum*. Hoc vltimum genus verè, propriè & simpliciter scientiam subalternatam constituit.

Scientia
1 *Subalternans* explicat rem *esse & propter quid* sit;
2 *Subalternata, tantùm esse*; sic Chirurgus (cujus scientia subest Geometriæ) cognoscit vulnera rotunda tardiùs curari; sed Geometres, qui Chirurgum sibi subalternat, tradit hujus rei cognitionem; quia scilicet hujus vulneris latera longiùs inter se distant, atque ita difficiliùs vniri possunt.

Opinio 1ª. asserit Evidentiam *non* esse de ratione *scientiæ in communi, aut* scientiæ *subalternatæ*.

Opinio verò 2ª. traditur per duplicem acceptionem,

1 *Scientia*;

1 *Scientia*; quæ ſcilicet conſideratur vel

1 Quatenùs per *lumen naturale intellectûs* haberi poteſt; & *ſic* evidentia *eſt* de eſſentia *omnis* ſcientiæ ſecundum Ariſtotelem. Cùm enim *principia* ſint *evidentia*, neceſſe eſt vt *cognitio*, quæ *per illa* habetur, ſit *evidens*; Ariſtoteles verò hoc non expreſſit, quia neceſſariò *includitur in* definitionis *reliquis* particulis.

2 Sub *univerſaliori acceptione*, vt dicit *aſſenſum* concluſionis habitum *per demonſtrationem* ex præmiſſis, ſive per lumen naturale, ſive *quocunque modo* cognitis. In hac acceptione evidentia *non* eſt de eſſentia omnis ſcientiæ; vt videre eſt in *Theologia*, quæ eſt *ſcientia*, *nec* tamen *evidens*;

1 *Scientia eſt*, quia

1 *Non* eſt aliquis *alius* ex habitibus intellectûs.

2 Demonſtrat per principia *infallibilia*, vtpotè quæ immediatè innituntur teſtimonio *divino*.

2 *Evidens non eſt*, quia progreditur à principijs fidei; quæ, cùm obſcura ſint & inevidentia, non poſſunt producere cognitionem manifeſtam.

2 Scientiæ *ſubalternata*; quæ conſideratur

1 *Sine ſubalternante*; vt in eo, qui Muſicam didicit ignarus Arithmeticæ; & *ſic* ſubalternata *non* habet evidentiam, *nec eſt ſcientia*: ſi principia ejus dependeant *tantùm à teſtimonio humano*.

mano, cui poteſt ſubeſſe falſum; immò *ſic nec* propriè eſt *ſubalternata*, niſi *ſolùm materialiter & in potentia*, quatenùs cum ſubalternante conjungi *poteſt*. Si verò principia ſubalternatæ nota ſint ei qui eam habet, *per experientiam*; ſubalternata erit *ſcientia* (licèt imperfecta) *& evidens*.

2 *Cum ſubalternante*; Et *ſic ratione continuationis habet evidentiam*; ſubalternans enim reducit ad prima principia, quatenùs ſibi continuatur ſubalternata. *Si* verò ſubalternata *etiam cum* ſubalternante exiſtens *præciſè* tamen conſideretur *ſine conſideratione unionis* cum ſubalternante, *neque ſcientia* erit, *neque evidens*.



QVÆST. VI.

An formido ſit de natura Opinionis? Aff.

QVod Orbis ſine Sole, id ſine ſcientiâ animus. Qui nocte incedit, non tàm pedibus, quàm manibus ambulat, nec tàm ambulat, quàm titubat; veretur enim magis, quàm progreditur. Ignorantia nox eſt: opinio nox eſt, ſed illuſtrata ſcintillanti lumine; quod viatorem non ducit, ſed torquet.

quet. Opinio eſt cognitionis reatus, quem ſequitur timor. Vmbra non ſolis eſt, ſed terræ: nec metus oritur à ſcientia, ſed ab opinione; vt enim fortis non eſt timere, ita nec artificis. Scientia eſt intellectûs modeſta fortitudo; Si verò opinio audacior evadat, non minùs timorem excutit, quàm veritatem. Eſt etiam quaſi intellectûs phantaſia, quæ agili fœcunditate & errore triumphat. Errant tamen multi, nec metuunt; atqui magis errant, quòd non metuant. Opinio eſt via lactea diviſa & obſcura; & vix adhuc conſtat an ſydus ſit, an meteoron. Ad Opinionis ergò naturam inveſtigandam aliâ incedendum eſt viâ, nempè philoſophicâ.

Opinionis definitio. Opinio eſt cognitio, quâ aſſentimur alicui propoſitioni non neceſſariæ per medium probabile, aut ſine illo; Ergò

Non eſt
- 1 *Facultas imaginandi*, quia
  - 1 *Hæc* etiam in brutis eſt; opinio verò procedit ſecundum diſcurſum rationis.
  - 2 Sæpè opinamur contraria his quæ imaginamur; vt, imaginamur ſolem eſſe vnius tantùm, vel duorum cubitorum: ſed opinamur eſſe majorem terrâ.

3 Opinio eſt ſemper cum aliquo conſenſu.

2 *Scientia*, quia
Scientia eſt rei neceſſariæ.

3 *Intellectus*, quia
Opinio vel eſt per medium, vel rei non neceſſariæ.

4 *Fides humana*, quia
1 Fides humana non habetur per medium probabile, nec ſine illo: ſed per teſtimonium fide dignum.
2 Aſſenſus intellectuales ſpecie diſtinguuntur ſecundum formales rationes aſſentiendi: ſed aſſenſus vel ſine medio, vel per medium probabile eſt diverſiſſimum à *teſtimonio*.
3 Humana fides ſæpè minùs certa eſt quàm opinio, quia
Quodlibet teſtimonium non ſemper tantæ eſt authoritatis, quantæ eſt valdè probabilis ratio.

5 *Dubitatio*, quia
Per *hanc* intellectus *hæret* inter vtramque partem: ſed per *opinionem* ad alteram *determinatur*.

6 *Habitus*, quia
1 Ariſtoteles negat.
2 Opinio ex *ſua natura* eſt facilè mobilis, cùm innitatur principijs tantùm probabilibus, quæ infirma ſunt, ita vt adveniente

niente fortiori ratione, in aliam partem flecti possit. *Cùm* verò est *difficulter* mobilis, *accidit* non ex parte ipsius opinionis, sed ex vitio & *contumaciâ voluntatis*, quæ oritur ex falsa apprehensione mediorum.

Sed est 7 *Dispositio*, sivè affectio disponens intellectum ad actionem intelligendi, per medium probabile, vel sine illo. Sic opinio, vt *difficilè mobile* sumitur ex parte subjecti, aut ex frequentatione actuum, habet *accidentaliter statum* habitûs, scilicet *radicationem* in subjecto: si verò consideretur *difficilè mobile* vt sumitur ex natura causæ *intrinsecæ*, per quam producitur & specificatur, ita opinio est *essentialiter dispositio*, & *difficile mobile*, *sic* ei *non* convenit, *licèt eodem tempore accidentaliter* ei conveniat.

Animadvertendum verò

1 *Scientiam* provenire ex evidentia principiorum;

2 *Fidem* ex voluntate, per *testimonium humanum*, intellectum ad assensum rei *determinante*.

3 *Opinionem* ex ratione probabili *inflectere* intellectum, sed *cum hæsitatione*.

4 *Dubitationem neutri* parti adhærere.

Opinio verò est vel

1 Mediata, per *medium* probabile; respondetque *Scientiæ*.

2 Immediata, seu *sine medio*; vt, Omnis mater

 diligit

diligit filium ſuum; eſt ſine medio, & non neceſſaria; reſpondetque *intellectui*. Eſt *neceſſariò probabilis*, non neceſſariò vera.

Eſt item Opinio alia

1 Perfecta, cognitio obſcura, ſed perfecta, cui tamen poteſt ſubeſſe falſum; Et hæc *eadem* eſt *cum fide humanâ*, & *ſine formidine*.

2 Imperfecta obſcura & *cum formidine*, vt opinio *vulgi*.

Opinio oritur vel ex parte

1 *Objecti*, cùm ſcilicet eſt res probabilis.

2 *Modi aſſentiendi*, *cùm* licèt *res* ſit *neceſſaria*, *medium* tamen eſt tantùm *probabile*.

Formido eſt, aſſenſus debilis & infirmus, ſeu potiùs *aſſenſûs debilitas*; Eſtque vel

1 *Radicalis*, quæ in eo ſolùm conſiſtit, quòd aſſenſui opinionis non repugnet ſubeſſe falſum. Hæc eſt *de eſſentia omnis* opinionis; & eſt *origo actualis*.

2 *Actualis*, quæ conſiſtit in actuali dubitatione. *Hæc* tantùm *accidentalis* eſt *reſpectu opinionis*. Sunt enim plures opiniones in Dialectica, Philoſophia & alijs ſcientijs, quibus aſſentimur ſine omni dubitatione actuali, quibus tamen intrinſeca eſt formido radicalis, cùm innitantur medijs tantùm probabilibus.

Formido *radicalis* eſt *de eſſentia fidei etiam humanæ*; quia licèt hujus aſſenſus multiplicatis teſtimonijs poſſit eſſe *certus moraliter & per accidens*: tamen *per ſe* ſecundum propriam conditionem humanæ authoritatis

thoritatis est *incertum*, & ei subesse potest falsum; Sic propositio hæc, Roma est, est *necessaria* per *testimonium humanum*, id est, *moraliter*; non naturaliter & *per se*.



QVÆST. VII.

An distinctio scientiarum desumenda sit ab objecto formali? Aff.

NIhil in natura tàm integrum est, tàm vnum, quod non divisum sit. Elementa minimè concreta jam tandem Chymicorum artificiosâ vi ferè elementa sua confitentur. Cœlum ipsum divisum est, immò numen: in quo distinctionem invenit non ingenium, sed religio. Quid mirum igitur, si cœlum animæ sit tripartitum? & scientiarum numen sit polyarchicum? Cùm ferax imperium hîc non ruina sit, sed triumphus! Amicâ ambitione sese amplectuntur scientiæ: nec tàm ipsæ gestiunt res suas sibi habere singulas, quàm res ipsæ; quæ instructissimâ indole sci-

entijs ſuis ſe vltrò ſubjiciunt; quaſi intelligeret, cui ſerviat, natura! Cœlum ipſum, quod multi petunt ſtultitiâ, ſerenâ modeſtiâ ſe ſponte ſubmittit Aſtronomo, ſe ſoli ſubmittit Aſtronomo: quem ardentiùs ambit, quàm Luna olim Endymionem. Effrœnis Oceanus non alium agnoſcit Dominum, quàm Navarchum. Promethei audaciam non vltra veretur aut moratur Ignis, ſed ingenio liberrimo ipſe ſe Vulcano tradit. Sic Aurifabro Aurum ſeſe offert, quaſi illius manum plaſticam & intelligeret & agnoſceret. Sic ipſa objecta vendicant & diſtinguunt ſcientias; quod ipſa ſcientia diſtinctiùs oſtendit.

1 Diſtinctio (reſpectu ſcientiarum *inter ſe*) eſt duplex.
  1 Materialis, numerica, quæ deſumitur à ſubjecto; ſic dialectica Petri eſt diverſa numero ab illa quam Iohannes acquiſivit; & illius albedo ab hujus albedine.
  2 Formalis, quæ eſt vel
    1 Generica, ſeu ſecundum quid.
    2 Specifica, ſeu ſimpliciter formalis; ſic diſtingui dicuntur formaliter, quæ ſpecie diſtinguuntur. Hæc præcipuè intelligitur; generica minùs,

minùs; numerica nequaquam.

2 Distinctio scientiæ (*in se*) est vel

1 Extrinseca, quæ petitur ab objecto, quod est extra rem, seu scientias.

2 Intrinseca, quæ petitur ab ordine vel habitudine ad objecta: qui ordo est intrinsecus ipsis habitibus.

3 In objecto potentiæ vel habitûs sunt

1 Materia, vt in potentia visiva lignum vel paries cui inest albedo; & appellatur Objectum *purè materiale*. De hoc non quæritur.

2 Forma, seu ratio formalis, vel

1 *Quæ* percipitur à potentia, vt *Albedo* ipsa.

2 *Sub qua* percipitur & constituitur in esse subjecti, vt *Visibilitas*. Ex *his* consurgit objectum in ratione objecti, scilicet *albedo quatenùs visibilis*. Ab hac objecti ratione formali *sub qua* sumenda est vnitas & distinctio scientiarum.

4 Objectum contemplationis respectu

1 Potentiæ intellectivæ debet esse *Immateriale*
2 Habitûs scientiæ, *Necessarium* } *abstractum* à materia & mutatione.

5 Materia abstrahibilis est vel

1 Sensibilis considerata in

1 *Singulari*, vt hæc caro, hæc ossa, sensibilibus & singularibus accidentibus subjecta. Ab hac abstrahit *Naturalis* Philosophia.

2 *Communi*, similiter qualitatibus sensibilibus vestita. Ab hac abstrahunt scientiæ *Mathematicæ*.

2 Intel-

2 Intelligibilis; accidens materiale, non tamen consideratum vt accidentibus sensibilibus conjunctum; vt linea nec singularis nec sensibilis, verè intelligibilis. Ab hac abstrahit *Metaphysica*.

6 Omne objectum cognoscitur sub aliquo *lumine*; quod triplex est,

1 Physicum, seu exteriorum sensuum.

2 Mathematicum, interiorum sensuum, seu potentiæ imaginativæ.

3 Metaphysicum, intellectûs.

7 In Philosophia naturali considerantur,

1 Res naturales omnes.

2 Mobilitas.

3 Abstractio à materia singulari.

His præmissis;

Opinio

1ª desumit distinctionem à forma Quæ.

2ª Supra hanc addit *& Abstractionem*; & has *duas* sufficere ait.

3ª Vltra has duas requirit *etiam diversum lumen*; & hæc *tria* ait sufficere.

Refutatur verò opinio

1ª, quia

1 Habitus distinguuntur vt potentiæ; hæ verò non à ratione formali Quæ; vt nec potentia visiva à colore: tùm enim diversæ essent potentiæ visivæ pro diversitate colorum.

2 Circa eandem rationem formalem

Quæ

Quæ, possunt versari diversæ scientiæ; vt circa rotunditatem terræ versatur *naturalis scientia*, illam per principia motûs ostendens; atque etiam *Astronomia* eandem probans, quia per interpositionem ejus eclipsatur luna.

2a, quia

1 Res non est formaliter scibilis per abstractionem, (licèt sit necessaria conditio) sed per principia.

2 Reperiuntur scientiæ diversæ sub eodem gradu abstractionis, vt Geometria & Arithmetica sub gradu abstractionis à materia sensibili; Et licèt reperiatur sub eodem gradu abstractionis aliqua diversitas, illa est tantùm accidentalis, non essentialis.

3a, quia

1 Illud quod cognoscitur lumine externi sensus est singulare, atque ita non est objectum scientiæ: ergò ab externo sensu neque genus scientiæ neque species proximè desumi possunt.

2 Musica, Perspectiva & philosophia Naturalis sub eadem specie collocarentur, quia remotè innituntur eidem lumini sensuum; quod absurdum esset.

4a Opinio *rectiùs* sumit diversitatem *ex principijs*, quia

1 Ex his habet rationem formalem scibilis,

bilis, per demonstrationem.

2 Habitus distinguuntur per actus, actus per principia; actus verò scientiarum sunt conclusiones demonstrationum, quæ diversitatem suam capiunt ex principijs tanquam ex medio formali assentiendi.

3 Ex his oriuntur certitudo & evidentia scientiæ, quæ sunt illi intrinseca.

Principia verò sunt vel
- 1 Incomplexa; hæc *non* intelliguntur: hoc enim esset sumere distinctionem à ratione formali *Qua*.
- 2 Complexa
  - 1 *Non communia* omnibus scientijs; sed
  - 2 *Particularia* vniuscujusque scientiæ.

Sic vna scientia distinguitur ab alia *per objectum formale*; at per *rationem formalem Sub Qua*: quia, per *medium* assentiendi conclusionibus, *id est*, per *principia in demonstratione disposita*.

Sciendum tamen, quòd apud nonnullos ratio *Qua* pro materiali sumatur, sola verò ratio *Sub Qua* pro formali; licèt ab alijs aliter accipiantur, vt suprà ostensum est.

QVÆST.

QVÆST. VIII.

An Sapientia *distinguatur ab Intellectu & Scientia? Aff.*

VT hominum, ita & literarum optimum regimen est Monarchicum: nec magis populo imperat Majestas, quàm cæteris disciplinis Sapientia. Magnum est scire: at mirum sapere. Numerosa fuit Dearum caterva; sed vnica Pallas orta est ex Iovis capite: cujus fœtu, ventriculorum cerebri metaphora fit historia. Vt ergò Sapientia ex capite orta: ita, non otioso emblemate, reliquarum scientiarum caput est; quod quisquis negat, corporis & capitis quæ sint discrimina nescit, scientijsque caput negat & sibi: aut saltem scientias homunculis illis apud Indos poëticos non dissimiles reddit, quorum capita inter humeros in pectora ridiculè detrusa pro mamillis confusos & fallaces ostendunt oculos.

los. Sed caput ſuum exerit dominatrix Sapientia, ſuaque inſignia portantem ſic præmittit Fecialem Philoſophiam.

Sapientia ſumitur pro
- 1 Congerie ſcientiarum.
- 2 Excellentiâ cujuſcunque ſcientiæ.
- 3 Excellentiſſimâ ſcientiarum.

Sapientiæ definitio. Sapientia eſt habitus judicandi de rebus per altiſſimas cauſas. Ariſtot Eth.*6*.c.7.

Sapientiæ *Cauſa*
- 1 Materialis
  - 1 In qua, eſt Subjectum, Intellectus.
  - 2 Circa quam, objectum.
- 2 Formalis, ipſius Sapientiæ ratio formalis, ſeu eſſentia.
- 3 Efficiens, Actus quibus acquiritur.
- 4 Finalis, virtutis contemplatio propter ſeipſam; quia
  - 1 Tractat de altiſſimis rerum principijs.
  - 2 Non tendit ad operationem : nam (vt ait Ariſtoteles)
    - 1 Homines propter admirationem & cauſarum ignorationem, hanc ſcientiam invenire cœpêrunt.
    - 2 Cùm ejs omnia ad hanc vitam neceſſaria ſuppeterent, hanc ſcientiam inveſtigàrunt.
  - 3 Hæc non agit de operabilibus, ſed de entibus maximè abſtractis.

Pro-

Proprietates Sapientiæ ſunt

1 Verſari *circa omnia* ;

Sic Metaphyſica (quæ eſt Sapientia) agit de *omnibus* rebus

1 *Confuſè & in communi*, vt de

1 Rationibus Entis communibus omnibus Entibus.

2 Primis principijs.

2 *In particulari* de omnibus rebus *ſecundum proprias differentias*

1 *Simpliciter*, in rebus quæ abſtrahunt à *materia*, ſecundum *eſſe*.

2 *Aliquatenùs*, in rebus quæ abſtrahunt à materia *ſenſibili & intelligibili*, ſeu quantitate.

3 Non in ſe, ſed *in cauſis ſuis* ; quia de vniverſaliſſimis agit.

2 Verſari *circa difficillima*, & à ſenſibus remotiſſima; ſed juxta ingenij capacitatem ; verſatur enim circa vniverſalia, quæ difficillima cognitu cognitione diſtinctâ, non confuſâ.

3 Habere *cognitionem certam*, quæ oritur ex evidentia ; & licèt difficillima, circa quæ verſatur, magis incerta & obſcura videantur : ſciendum tamen, quòd duæ ſint partes ſapientiæ (vtpotè Metaphyſicæ) quarum

1 Vna de Ente, vt ens eſt, ejuſque principijs & proprietatibus agit ; Et quoad hanc partem Metaphyſica eſt ſimpliciter certiſſima.

2 Alia de peculiaribus aliquot rationibus Entium agit; Et circa hanc etiam Metaphyſica eſt certiſſima,

1 Quoad ſe, ſcilicet ex parte objecti; quia eſt immaterialis.

2 Licèt non quoad nos ex parte noſtri intellectûs, quia agit de remotis à ſenſu, vnde oritur noſtra cognitio.

4 Habere *aptitudinem* maximam *ad docendum*, *cauſaſque rerum tradendas*; quia docet per cauſas independentes; licétque *Dialectica aptior* ſit, *quoad methodum* docendi, quam tradit; *non* tamen *quoad modum*; quia hæc, vtpotè Metaphyſica, tradit per cauſas ſupremas, à quibus ipſa Dialectica dependet.

Sic Metaphyſica demonſtrat per omnes cauſas; ſcilicet

1 *Finalem*, quia eſt nobiliſſima & prima.

2 *Efficientem*, quia de Ente primo agit & Intelligentijs; Et licèt *efficiens* verſetur circa *exiſtentiam*, à qua abſtrahit ſcientia, atque ita *actualis dependentia* à cauſa efficiente per ſe *non* cadat ſub ſcientia; *habitudo* tamen *intrinſeca* ad cauſam efficientem *conſideratur*; nam ideò creatura probatur eſſe ens finitum, quia habet eſſentialem dependentiam ab efficiente.

3 *Exemplarem*; quia eſt optimum medium demonſtrandi: Et Metaphyſica ex ſe abſtrahit à materia, & in rebus intellectualibus propriùs reperitur.

4 *Ma-*

4 *Materialem*; quia

1 Materia in tota sua latitudine latiùs patet, quàm materia sensibilis.

2 Substantia spiritualis est causa materialis suorum accidentium.

3 Essentia (secundum aliquos) est naturalis causa existentiæ, & natura personalitatis.

4 Causalitas potentiæ passivæ est materialis, & pertinet ad Metaphysicam.

5 Distinguit actum à potentia, & formam completam ab incompleta, & vtramque à materia.

5 Dignitatem habere, vt 1. propter se, 2. sciendi causâ appetatur; quia

1°

1 Sapientia (vtpotè Metaphysica) est maximè speculativa.

2 Naturalis fœlicitas, quæ maximè expetitur propter se, posita est in aliquo actu hujus scientiæ.

2°

1 Agit de principijs aliarum scientiarum.

2 Considerat rationem Entis absolutè.

3 Habet se vt causa superior influens suo modo in aliud; Atque ita est maximè propter se, & alijs vtilis.

6 *Praeesse alijs*; quia

1 Considerat primas causas rerum, præcipuè finalem & vltimam.

2 Licèt *practica* videatur princeps, *Sapientia* tamen *ratio essentialis* est *contemplatio* veritatis; *usus* verò ejus est illi tantùm *accidentalis*. Sic

Sapi-

Sapientiæ imperium eſt Speculativum directivè & eminenter; non practicum, propriè & formaliter.

Eſt verò Sapientia *vnus* habitus *ſimplex*, vt ex munere illius diſtincto patet; quia

1 *Intellectus* percipit, *vera eſſe principia*;

2 *Scientia*, *veras* eſſe *concluſiones*;

3 *Sapientia*, *veras* eſſe *concluſiones propter principia*; vt 1° Terram interponi inter ſolem & lunam; 2° Lunam pati eclipſin; 3° Lunam pati eclipſin propter interpoſitionem.

Non eſt ergò Sapientia *habitus* quidam *aggregatus* ex intellectu & ſcientia; quia tunc procederet, vt *intellectus*, *ſine medio*; & vt *ſcientia*, *per medium*; quod abſurdum eſt.

Nonnulli dicunt ſapientiam eſſe eundem habitum cum ijs, non formaliter, ſed materialiter; Si dixiſſent, eſſe eundem *eminenter*, propiùs à veritate abfuiſſent.

Verſatur verò *ſapientia* circa

1 *Concluſiones remotè* & mediatè, &, vt ita dicamus, materialiter, *dum* verſatur *circa principia*.

2 *Principia*

1 *Aliena*; quæ reſpectu ſapientiæ ſunt concluſiones; Ipſaque principia Mathematica dependent à Metaphyſica.

2 *Sua*; ſic *hoc ſuum principium*, [Impoſſibile eſt idem de eodem & affirmare & negare] probat *per reflexionem intellectûs*, & *reductionem*

ctionem ad fontem, vndè dimanat, ſcilicet ipſum *divinum lumen*. Sic rectè colligimus ipſa prima principia eſſe vera, quia oſtenduntur ipſo *lumine naturali*, quod in hujuſmodi modo aſſentiendi non poteſt decipi. Vnde Ariſtoteles (in principio ſcientiæ de anima) illam *ſcientiam* judicavit eſſe *certiſsimam*, quæ ipſum *lumen intellectuale* contemplatur.

Inter *Intellectum* tamen & *Sapientiam* nonnullæ eminent differentiæ; quarum

1ª eſt
1 *Intellectus* aſſentitur principijs *lumine naturali* per ſimplicem terminorum apprehenſionem *ſine diſcurſu*;
2 *Sapientia diſcurſu* vtitur.

2ª
1 *Intellectus* non addit propriè aliquam evidentiam aut certitudinem aſſenſui principiorum, qui ex ſola natura haberi poteſt; ſed *facilitatem* in exercenda illa evidentia;
2 *Sapientia* verò addit *evidentiam & certitudinem*, *per novum medium* aſſentiendi.

3ª
1 *Intellectus* principiorum non attingit Deum & Intelligentias ſecundum proprias rationes, ſed communes tantùm entis & ſubſtantiæ.
2 *Sapientia* tamen inchoativè & viâ generationis *dependet* ab *intellectu*, & principia aliqua, ſcilicet complexa, ſapientiæ, etiam ſine ſapientia intelligimus, ſed *meliùs per illam*.

Nam licèt multa ſint principia nota per ſe de Deo & Angelis ſecundum ſe, tamen reſpectu noſtri nihil eſt per ſe notum immediatè per habitum principiorum, ſed ſolùm per ſapientiam. Atque hinc eſt, quòd Ariſtoteles *6*. Eth. cap. 12. dicat, beatitudinem naturalem hominis non in aliquo actu intellectûs principiorum conſiſtere, ſed in actu & contemplatione ſapientiæ;

Sic licèt *Sapientia* dependeat ab *intellectu* viâ *generationis*, viâ tamen *perfectionis* eſt illo *nobilior*; *quia*

1 Habet quicquid eſt in habitu principiorum; judicium ferendo de principijs.

2 Circa alia etiam verſatur, quæ ex principijs inferuntur; &

3 Nobiliori modo, ſcilicet, reflexivè.

Sapientia verò & *Scientia* quantum diſtant! verſatur *vtraque* circa *concluſiones*, at *illa remotè* & quaſi materialiter. Procedit *vtraque* per *diſcurſum*, at *illa* tantùm per *nobiliſsimum*, & quaſi demonſtrationis imperium. Reliquæ illarum differentiæ ex ſuperiùs dictis facilè & abundè pateant; licèt *Sapientia* quandoque (ita quaſi exigente *communi modo loquendi*) *Scientia* appelletur.

QVÆST.



QVÆST. IX.

An Prudentia sit habitus intellectualis? Aff.

NEc præfatione opus eſt, nec auſpicio; cùm pro vtriſque numen adſit, Prudentia. Cujus æquivoca divinitas ambiguam videtur animam imitari: quæ agili immortalitate nunc corpora, nunc Angelos comitatur; vt inter Voluntatem & Intellectum Prudentia videtur interludere. Prudentia tamen prudens eſt, non verſuta; & vt anima adeſt corpori, non vt ſit corpus, ſed vt dirigat: haud ſecùs ferè voluntati prudentia non ineſt, ſed præeſt. Principis eſt præcipere; quod non tàm Velle eſt, quàm Intelligere: nec magis Lex, quàm Voluntas, rationem ſubſequitur. Sed cùm prudentia vt cæteris actionibus, ita & Encomijs ſuis, modum præſcribat, modeſtiùs & illuſtriùs laudes ejus, dùm naturam, exprimemus.

Nam licèt multa ſint principia nota per ſe de Deo & Angelis ſecundum ſe, tamen reſpectu noſtri nihil eſt per ſe notum immediatè per habitum principiorum, ſed ſolùm per ſapientiam. Atque hinc eſt, quòd Ariſtoteles 6. Eth. cap. 12. dicat, beatitudinem naturalem hominis non in aliquo actu intellectûs principiorum conſiſtere, ſed in actu & contemplatione ſapientiæ;

Sic licèt *Sapientia* dependeat ab *intellectu* viâ *generationis*, viâ tamen *perfectionis* eſt illo *nobilior*; *quia*

1 Habet quicquid eſt in habitu principiorum; judicium ferendo de principijs.
2 Circa alia etiam verſatur, quæ ex principijs inferuntur; &
3 Nobiliori modo, ſcilicet, reflexivè.

Sapientia verò & *Scientia* quantum diſtant! verſatur *vtraque* circa *concluſiones*, at *illa remotè* & quaſi materialiter. Procedit *vtraque* per *diſcurſum*, at *illa* tantùm per *nobiliſsimum*, & quaſi demonſtrationis imperium. Reliquæ illarum differentiæ ex ſuperiùs dictis facilè & abundè pateant; licèt *Sapientia* quandoque (ita quaſi exigente *communi modo loquendi*) *Scientia* appelletur.

QVÆST.



QVÆST. IX.

An Prudentia sit habitus intellectualis? Aff.

NEc præfatione opus eſt, nec auſpicio; cùm pro vtriſque numen adſit, Prudentia. Cujus æquivoca divinitas ambiguam videtur animam imitari: quæ agili immortalitate nunc corpora, nunc Angelos comitatur; vt inter Voluntatem & Intellectum Prudentia videtur interludere. Prudentia tamen prudens eſt, non verſuta; & vt anima adeſt corpori, non vt ſit corpus, ſed vt dirigat: haud ſecùs ferè voluntati prudentia non ineſt, ſed præeſt. Principis eſt præcipere; quod non tàm Velle eſt, quàm Intelligere: nec magis Lex, quàm Voluntas, rationem ſubſequitur. Sed cùm prudentia vt cæteris actionibus, ita & Encomijs ſuis, modum præſcribat, modeſtiùs & illuſtriùs laudes ejus, dùm naturam, exprimemus.

Prudentia sumitur pro

1 Divinâ sapientiâ; & sic Deo tribuitur.

2 Instinctu naturæ; sic convenit bestijs; & sic serpentes dicuntur prudentes.

3 Bonâ indole puerorum. Polit. 1. cap. 2.

4 Calliditate & versutiâ; sic astuti appellantur prudentes.

5 Quacunque cognitione veri speculativâ & practicâ.

6 Practicâ tantùm.

7 Omni perfectione intellectûs practici, scilicet pro omnibus inferioribus habitibus, qui consequuntur prudentiam.

8 Aliquibus motibus appetitivæ partis, qui sint vel causæ vel effectus imperij, (quod est proprius actus ejus) vt pro amore & electione.

9 Habitu intellectûs verâ cum ratione activo, circa ea quæ bona vel mala homini sunt.

Assertio

1ª. Prudentia est *habitus* sivè virtus; quia determinat intellectum practicum ad optimum opus circa agibilia.

2ª. Est habitus *Verus*; nam licèt versetur circa singularia, quæ aliter se habere possint, atque ita circa quæ possit errari; tamen ille error non accidit ratione prudentiæ, sed objecti contingentis. Et licèt versetur circa contingentia, sunt tamen contingentia humana, quæ potest regere.

3ª. *Di-*

3ª. *Diversâ* ratione est virtus tùm *intellectualis*, tùm *moralis*;

Aliqui sic; *Moralis* est
- 1 Vt *distinguitur contra* intellectualem. Ineptè, licèt verè.
- 2 Secundum *connexionem cum moralibus*. Nec sic sufficienter; quia non attingunt causam; quæ est vis ejus activa circa objecta omnium virtutum.
- 3 *Directivè*, quia dirigit omnes virtutes, quæ nihil agunt sine hujus decreto.

Alij sic; est
- 1 *Intellectualis* ratione subjecti.
- 2 *Moralis* ratione Objecti, Agibilis, malè;

Objectum enim ejus duplex est,
- 1 Materiale, quod est morale, agibile *bonum*.
- 2 Formale, quod est intellectuale, agibile quatenùs *verum* per conformitatem cum appetitu recto.

Meliùs ergo sic;

Prudentia est virtus
- 1 *Intellectualis* respectu
  - 1 Subjecti, Intellectûs.
  - 2 Objecti formalis, Agibilis *veri*.
- 2 *moralis*, respectu Objecti materialis, Agibilis *boni*.

Versatur tamen prudentia etiam circa *bonum formaliter*,

1 Non ſecundum ſe, vt eſt in intellectu;
2 Sed vt movetur in ſuo exercitio ab appetitu per inclinationes virtutum moralium.

Objectum prudentiæ eſt *Agibile*, ideò inconſtans & ſingulare; quia, vt Ariſtoteles ait,

1° {
1 *Scientia* verſatur circa *univerſalia*, quorum notitia comparatur per *demonſtrationem*.
2 *Prudentia* circa *ſingularia*, quorum notitia comparatur per *experientiam*.
}

2° {
1 *Intelligentia* verſatur circa *ſuprema* in ordine naturæ, ſeu *principia* prima.
2 *Prudentia* circa *infima* in ordine naturæ, quæ ſolo *ſenſu* fundamentaliter ſunt cognoſcenda.
}

Licèt verò objectum prudentiæ ſit ſingulare atque ita contingens, & contingentium non ſit determinata veritas, habitus tamen prudentiæ verus eſt. Sciendum ergò, quòd *Veritas prudentiæ*

1 *Non* eſt *Speculativa*, quæ ſpectatur ſecundum conformitatem cognoſcentis ad rem cognitam. Hæc enim nunquam eſt abſoluta, niſi quando objectum eſt neceſſarium, à cujus conditione dependet;
2 *Sed Practica*, quæ poteſt eſſe abſoluta (licèt tendat in objectum contingens) ſi recto appetitui adæquetur; quicquid ſit de conformitate ad objectum ſecundum ſe, & ex natura ſua ſpectatum.

Partes

Partes verò *Prudentiæ* ſunt vel

1 *Integrales;* non quòd ad ipſius prudentiæ quaſi compoſitionem, ſed ad actuum illius perfectionem requirantur.

2 *Subjectivæ*, quæ ſub prudentia tanquam ſpecies continentur.

3 *Potentiales*, quæ totam prudentiæ virtutem quaſi abſorbent.

Integrales partes *prudentiæ*, quatenùs

1 Eſt habitus *cognoſcitivus*, ſunt

1 *Memoria*, ſeu *Præteritorum* —
2 *Intelligentia* (non principiorum habitus) per converſionem intellectûs ad ſenſibilia phantaſmata, *præſentium* —
3 *Docilitas*, per *alterius* doctrinam —
4 *Solertia*, per *propriam* inventionem —
5 *Ratio*, vnius ex alio per *illationem* —

} cognitio.

2 Applicat cognitionem *ad opus*, ſunt

1 *Providentia*, ordinatio idoneorum *mediorum* ad finem.

2 *Circumſpectio*, accurata conſideratio *circumſtantiarum*.

3 *Cautio*, proviſio adverſus *impedimenta*.

Subjectivæ partes prudentiæ ſunt prudentia

1 Publica, quæ vel

1 Regia, ſub qua Legiſlativa.

2 Politica

2 Politica propria Subditorum.
3 Oeconomica.
4 Militaris.

2 Privata.

Circa agibilia *tres actus rationis* inveniuntur, *Inquirere*, *judicare*, *præcipere*, ad quos perficiendos virtutes tot ſunt adjunctæ prudentiæ, quæ *Potentiales* partes prudentiæ appellantur, ſcilicet

1 *Eubulia*, ſeu conſiliativa, quæ apta media ad agendum invenit.
2 *Syneſis*, ſeu judicativa, quæ nempe de ijs judicat ſecundum leges *communes*.
3 *Gnome*, ſeu ſententia, quæ ſcilicet de difficilioribus & *lege* aliquâ *non determinatis*, ſecundum altiora rationis principia, non ex legis ſeveritate, ſed *ex æquitate* judicium fert; atque ita eſt nobilior virtus, & *perſpicacitas judicij*.

Actus verò *præcipuus* prudentiæ eſt Præcipere; nec obſtat, quòd *Prudentia* ſit in *Ratione*, *Præcipere* verò pertinere videatur *ad voluntatem*: dicendum enim eſt, quòd *movere ſimpliciter* pertineat *ad voluntatem*; *Præcipere* verò importet *motionem cum quadam ordinatione*, & ideò eſt actus rationis; & principalis actus, cùm conſilium & judicium pertineant ad rationem ſpeculativam, hic verò extendat ſe ad practicam; quia applicat conſiliata & judicata ad operandum.

Prudentia

Prudentia est vel
- 1 Infusa, de qua hîc non agitur.
- 2 Acquisita
  - 1 Vera
    - 1 Perfecta ex parte
      - 1 Triplicis actus.
      - 2 Boni finis totius vitæ.
    - 2 Imperfecta, quæ deficit in imperio.
  - 2 Falsa.

Prudentia
- 1 Infusa, 2 Vera } est *solùm* in *bonis*;
- 3 Falsa sola & *solùm* in *malis*.



QVÆST. X.

An Prudentia pertineat tantùm ad rationem practicam? Aff.

HOmo est concretus Angelus, dum vt Angelus contemplatur, dum vt homo agit, per sapientiam scilicet & prudentiam. Inter quas non dicam tantum interesse, quantum inter Diogenem & Macchiavellum: dicam, quantum ferè inter Senecam & Tacitum; verè dicam, quantum inter primævum Monachum &

Politicum. Prudentia civilis eſt, immò divina: cùm illuſtria opera & exigat & præſtet. Prudentia eſt anima politica, quæ tota eſt in toto corpore reipublicæ: vt, in qua parte non agit, pars illa non ſit, ſed cadaver. Prudentia ſolem refert, praxis lucem; &, tanquam luce, praxi ducimur, luceque Philoſophiæ ſic ad praxin ducimur.

De *praxi* verò inter Philoſophos lites acerrimæ ortæ ſunt: dùm *alij* illam in *ſola voluntate*, alij *etiam* in *intellectu* illam ponant.

Cùm verò dicimus Prudentiam pertinere tantùm ad rationem practicam, *negamus* eam pertinere 1° ad *rationem ſpeculativam*, 2° ad *voluntatem*.

Praxis à nonnullis ſumitur pro

1 *Omni* actu ſecundo; *malè*.

2 Actionibus voluntatis circa media & finem; *malè*.

3 Actionibus voluntatis circa media tantùm, ſeu pro electione; *nec ſatis verè*.

Et *hi* definiunt *Praxin* eſſe actionem *alterius potentiæ ab intellectu*, & poſteriorem intellectione, quæ vt recta cenſeatur debet eſſe conſona rectæ rationi intellectûs.

Actus verò voluntatis eſt vel

1 Elicitus, cujus immediatum principium eſt voluntas; & hic actus eſt ſemper internus, & *intrinſecè* praxis.

2 Impe-

2 Imperatus ab alia potentia, quàm à voluntate, non tamen ſine imperio voluntatis; & hic actus nonnunquam poteſt eſſe externus & ſenſui obvius, eſtque *denominativè* Praxis.

Alij dicunt *Praxin* eſſe actionem *intellectûs*, atque ita reperiri

1 *Per ſe*, in *intellectu practico*, vt eſt directivus operationum.

2 *Per participationem* in *rebus ipſis*, vel *opere exteriori*.

Similiter dicunt perfectionem

1 Speculativam eſſe propter ſe.

2 Practicam eſſe propter alium; & ſic praxis conveniet intellectui per ſubordinationem ad operationem, tanquam ad finem; non tamen primò invenietur in actu exteriori. Nam ſcientia habet ſuum eſſe per ordinem ad ſcibile; & tamen ratio ſcientiæ non primò convenit ipſi ſcibili; &aliud eſt dici tale *ad* terminum, aliud formaliter *in* termino;

Sic *Praxis* ab ijs dicitur operatio ex ſubordinatione, quam intellectus practicus habet ad operationem, quæ eſt complementum rationis practicæ.

Differentiæ verò nonnullæ inter *Speculativum* & *Practicum* in confeſſo ſunt; ſcilicet,

Finis
- 1 Speculativi eſt *Contemplatio*.
- 2 Practici *Opus*
  - 1 *Non ſemper aliquid operatum* per habitum practicum.

 2 *Sed*

2 *Sed Operatio* ipſa, vt cytharizatio, moderata comeſtio.

2 *Modus* procedendi eſt diverſus, nam

1 Practicus intellectus procedit modo *compoſitivo*, quo modo aliqua operatio ſit facienda.

2 Speculativus *reſolutivo*, reducendo veritates ad prima principia.

3 *Objectum* diverſum eſt; nam

1 Practicus intellectus verſatur circa *objectum operabile* modo operabili.

2 Speculativus verò, *licèt* objectnm *ſit operabile*, *non* conſiderat *operabilitatem*; vt potentia viſiva, licèt coloratum quod intuetur ſit homo, non conſiderat hominem, ſed colorem.

4 *Res* reſpiciunt intellectum

1 *Speculativum*, vt *menſuratum*.

2 *Practicum*; vt *menſura*.

His præmiſſis, veritas facilè pateat ex natura *Intellectûs*, *Voluntatis*, & *Prudentiæ*.

Intellectus ſecundum doctrinam Ariſtotelicam eſt vel

1 Speculativus, qui, quod apprehendit, ordinat *ad ſolam veritatis contemplationem*.

2 Practicus, qui quod apprehendit ordinat *ad Opus*; Vnde apparet, *ordinationem* intellectûs *practici eſſe actionem practicam*; & ita *actionem practicam* eſſe in *intellectu*.

In

In *Voluntate* item dari praxin, confitemur; in sola verò voluntate dari, pernegamus. Voluntati, inquiunt, *primò*, ergò *soli*, convenit praxis; cùm voluntas sit quæ primò moveat ad operandum. Rectè dictum de praxi voluntatis: falsò dictum de omni praxi; quia non de praxi intellectûs practici.

Cùmque subjiciant, *actionem practicam* convenire *intellectui*, *non* verò *praxin*; quæ fingunt approbant, sed non probant. Agnoscendum potiùs fuisset *actionem practicam*, *seu praxin* (rem planè eandem) duplicem esse, aliam *directivam* & *cum imperio*, aliam *solummodò imperativam*; quibus terminis judico tùm *veritatem* vtriusque, tùm *diversitatem* satis aptè exprimi; *prioremque intellectui*, *posteriorem verò voluntati* convenire. Neque obstat, quòd sint diversæ potentiæ, vt nonnulli frustrà objiciunt: vt enim natura actionis *immanentis*, aut habitûs *virtutis* potest his diversis potentijs, nempè intellectui & voluntati convenire, sic & natura actionis *practicæ*.

Sed & *prudentiæ* natura hoc probat. Cùm enim sit virtus *non moralis*, in *voluntate non* erit: cùmque ad *solam contemplationem non* tendat, in intellectu *speculativo* ponenda *non* est: cùmque tamen virtus sit *intellectualis*, in intellectu *practico* collocanda est; atque *ita intellectui praxis* necessariò inerit. Si quis verò, tantùm distinctionis gratiâ, *intellectûs* praxin *actionem practicam*, praxin verò *voluntatis* simpliciter *praxin* appellaverit, per nos licebit.

Sciendum tamen *Prudentiam* habere se

1 *Etiam* ad *Voluntatem*, *materialiter*, vt versatur

tur circa agibile *bonum*;

2 Ad *intellectum* verò *practicum*, propriè & *formaliter*, quatenùs versatur circa agibile bonum, *sub ratione veri practici.*

Denique ad *Prudentiam* requiritur *rectitudo intellectûs & voluntatis.*



QVÆST. XI.

An Intellectus practicus determinetur ad verum per rectitudinem appetitus? Aff.

QVod in orbe cœlesti Sol & Luna, idem ferè in humano orbe Intellectus & Voluntas. Sol & Intellectus constanti radio effundunt lumen: Luna & Voluntas mutabili virtute excipiunt idem, & refundunt. Appetitus verò, vt inferior natura, vim illam catholicam & patitur & terminat. Appetitus rectus est prudentiæ famulus, vt comes ejus est Voluntas. Regis verò est non tantùm subditis optima præcipere, sed & ab ijsdem ad optima excitari. Ille illustriùs res intuetur, at hi propiùs. Vix aliter Sol & oculus eadem conspiciunt. Integra voluntas

voluntas eſt rationis filiola, quæ quicquid pulchrum parens oſtenderit, illicò expetit. Quo artifici deſiderio, parenti, dùm auſcultat, imperat. Æquivocum hoc Voluntatis officium fida ſimplicitas Philoſophiæ explicabit.

Curioſa iſta difficultas patebit ex

1 *Motu potentiarum*; ſic,

1 *Intellectus* movetur

1 Directè { 1 Ab Objecto, materialiter. 2 A Seipſo, formaliter.

2 Ordine retrogrado, à Voluntate.

2 *Voluntas* movetur

1 Directè { 1 Ab Objecto, tanquam à fine. 2 Ab Intellectu, tanquam à proponente finem. 3 A Seipſa efficienter.

2 Ordine retrogrado (quatenùs diſpoſitio appetitûs efficit vt objectum appareat conveniens appetenti) ab Appetitu { 1 Derivato judicio in intellectum. 2 Connexione & ſympatheia.

3 *Appetitus ſenſitivus* movetur

1 Ab Objecto.

2 Ab Intellectu.

3 A Voluntate, tripliciter

{ 1 Derivato judicio in ſenſum.

2 Abſque

2 Abſque hoc judicio, ſolùm imperio (politico ſcilicet; & ideò poteſt contrà movere).
3 Naturali connexione.

II *Naturâ Objecti*, quod eſt

Finis
- 1 Non medius;
- 2 Sed *vltimus*, ſecundum *rationem*
  - 1 Non ſpecialem, ſcilicet quæ ſit illa res, quæ eſt finis; ſic enim nobis non eſt naturaliter determinatus;
  - 2 Sed *Communem*; ſic eſt.

III *Ordine Operationum*;

1° *Intellectus* rectè judicat de *fine*, ſaltem quoad communem ejus rationem, per ejus naturam *ſine ratiocinatione*.

2° Hanc judicij rectitudinem *ſequitur* naturaliter *rectitudo appetitûs* reſpectu illius finis.

3° Quia ad finem tendit appetitus, *intellectus* movetur *ad ratiocinandum*, vt inquirat ea, quæ ad illum finem valent; (& ſic, *per appetitum* finis, *intellectus determinatur ad ratiocinandum*).

4° Per hujuſmodi ratiocinationem *determinatur ad rectum judicium* de ordinatis ad finem deſideratum.

5° Hanc judicij rectitudinem *ſequitur rectitudo appetitus* circa ordinata in illum finem.

6° Per hujuſmodi appetitum *incipimus Operari*.

Hæc

Hæc verò *confirmantur*; quia

1 Aristoteles dicit prudentiam esse habitum non solùm cum recta *ratione*, sed etiam cum *rectitudine appetitûs* (scilicet *rationalis*, id est, *voluntatis.*)

2 Rectitudo *appetitûs* comparatur ad rectitudinem *rationis*, vt *finis* ad ea, *quæ* sunt *ad finem*.

3 Corruptio appetitûs determinat intellectum ad mendacia circa principia practica & conclusiones: ergò ex contrario, rectitudo ejus intellectum determinabit ad veritatem.

4 Licèt non priùs rectè appetamus, quàm intelligamus; appetitus tamen ritè instructus non prohibet, sed inclinat ad rectè & perfectè judicandum.

Animadvertendum verò, Intellectum

1 *Movere* voluntatem quoad *specificationem*;

2 *Moveri* ab eadem quoad *exercitium*.



QVÆST. XII.

An Prudentia cognoscat singularia? Aff.

PRudentia perspicillum est, quo Democriti atomi fiunt corpora; nec

ampliùs fallunt aciem, nisi quòd non ampliùs fallant. Immò Prudentiam hanc Lumen ipsum & Centrum appellemus Actionum Orbis: in cujus singula puncta feruntur radij. Creant Chymici in terræ centro Archæam quendam hominem Alchymisticum, à cujus sphæricâ virtute in superiores tumescentis terræ partes effusâ propagines metallorum derivantur. Sed — bilem aut risum fortassè quibusdam moverint tàm mendaces aretalogi. Hæc tamen vt res est ficta, ita facta alia est: omniumque virtutum Archæas est Prudentia: cui non minùs debent hominum actiones, quàm ipsi naturæ res ipsæ. Singulis se immiscet prudentia, sed prudenter; nec vt exploret singula, sed vt emendet. Et, vt singula intuetur, sic sua: quæ sic intuetur.

Habitus & potentiæ considerantur vel secundum

1 *Se*; & *sic* versantur *circa vniversalia*, vt potentia calefactiva non circa hoc vel illud lignum, potentia nutritiva, visiva, appetitiva non circa hunc vel illum panem, colorem, cibum versantur.

2 *Actus*

2 *Actus* & Operationes, quæ ſunt vel

1 *Tranſeuntes*, circa *ſingularia* ; nemo enim comedit niſi hunc vel illum panem;quia, Actus tales rem ipſam in ſeipſa,id eſt,ſingulariter exiſtentem attingunt.

2 *Immanentes*, ſpecialiter *Prudentiæ* circa

I *Vniverſalia*, quia

1 *Pars Prudentiæ* eſt *Legiſpoſitiva*, atque ita circa vniverſalia.

2 *Artes etiam* circa *concluſiones vniverſales*.

II *Singularia*, vt patet *ex natura*

1 *Intellectûs*, (*quem* facilem reddit *prudentiæ* habitus) qui cognoſcit *ſingularia* ; nam

1 Poteſt diſtinguere illa ab vniverſalibus.

2 Conficit propoſitiones de ſubjecto ſingulari, vt Socrates eſt homo.

3 Corrigit ſenſum circa magnitudinem Solis.

4 Eſt potentia ſuperior ſenſitivâ.

2 *Prudentiæ*, quia

1 *Ratiocinatio* poteſt eſſe *recta* circa *ſingulare agibile* ; talis verò operatio pertinet ad prudentiam

2 *Actio* eſt *ſingularium*;*prudentia* verò eſt *habitus activus*.

3 Acquiritur *experientiâ* (ſic juvenes poſſunt eſſe Geometrici,ſed non prudentes) :

dentes) : experientia verò est singularium.

4 Per prudentiam *evitamus* omne *peccatum* in *consiliando* circa *singularia*.

5 Ad quod operandum virtus *moralis* inclinat, *illud* operandum judicat *prudentia*.

6 Prudentia habet se circa animam, vt *medicina circa corpus* : sed, vt ait Aristoteles, non est perfectus medicus, qui sistit in ratione vniversali.

III *Magis circa singularia, quàm vniversalia*, quia

1 *Prudentiæ finis* est *operari* : ergò principaliter circa singulare versatur.

2 Singularia sunt *difficiliora*, quia

1 *Mutabiliora*.

2 *Fortiùs pervertere* possint judicium rationis.

} Ad ea ergò regenda *magis requiritur* prudentiæ habitus.

Neque tamen *singularitate* objecti tollitur prudentiæ *certitudo* ; est enim certitudo scientiæ duplex, vel quæ posita est in

1 Cognitione *solâ*

1 *Vniversali* ; sic eadem est cum certitudine scientiæ moralis.

2 *Particulari*, quæ non excedit certitudinem opinionis, cùm de futuris est, & absentibus;

bus; & hæc *non* eſt propria *prudentiæ*.

2 *Veritate practicâ*, quæ conſiſtit in conformiter ſe habendo appetitui recto; Et *hæc non* conſiſtit in *ſola ratione*, & eſt propria prudentiæ, eique ſemper adeſt, etiam reſpectu ſingularium abſentium & futurorum; Et licèt actiones prudentiæ impediantur, illius tamen præcepta ſunt *ſemper* conſona appetitui recto.



QVÆST. XIII.

An Prudentia præſtituat finem virtuti morali? Neg.

RAtio eſt quaſi finitus Deus; Prudentia velut Angelus: hic Deo à ſecretis, illa Rationi à conſilijs. Supremi Numinis imperium & imperio auſcultat Angelus: Rationis item, humani numinis, mandata fœlici ſervitute excipit prudentia & exequitur. Rationis fines ſunt tanquam poli: Prudentiæ media ſunt velut axis; quibus & ſuſtinetur & terminatur orbis actionum. Metam oſtendit ratio, viam prudentia: immò non oſtendit tantùm, ſed & præſtruit. Ratio

docet quò eundum; prudentia verò quâ eundum. Et quoniam ratio vt omnibus, sic & nobis, præstituit finem, prudentiâ duce investigabimus, qualis sit.

I *Natura virtutis moralis* elucet ex illius

- 1 *Definitione*; quæ est, Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos, ratione definitâ, vt prudens determinaret. Eth. 2°. cap. *6*.
- 2 *Causâ*, scilicet
  - 1 Efficiente, Actione repetitâ.
  - 2 Materiali, Perturbatione.
  - 3 Formali, Rectitudine secundum rationem, vnde Mediocritas oritur.
  - 4 Finali
    - 1 Remotâ, Fœlicitate.
    - 2 Proximâ, proprio honesto, quod à distinctis virtutibus quæritur; diciturque *Operatio recta*, seu *Bonitas rationis*.
- 3 Finis *Distinctione* à Medio; quòd sumitur
  - 1 *Formaliter*, pro ipsa medij ratione; & sic est *bonitas rationis*, & *finis* virtutis moralis.
  - 2 *Materialiter*, & sic est *res denominata* media, sivè *res bona* bonitate rationis, & id, quod est *ad* finem; sic *medium* erit *quid materiale*; *finis* verò *quid formale*.

II Pru-

11 Prudentia non præstituit finem virtuti morali; quia

Includit consultationem, quæ non est de fine, sed de medijs.

Cæterùm res tota patebit ex *differentijs* his inter *Synteresin* & *Prudentiam*.

1 1 *Synteresis* habet se ad *principia practica*, vt *Intellectus* ad *principia speculativa*. Vbi observare operæpretium est, Intellectum, scilicet habitum principiorum reverà sub se continere & habitum principiorum speculativorum & practicorum, scilicet synteresin, & tunc latè sed & verè sumi; aliquando verò habitum *tantùm speculativorum* principiorum, & sic plerunque accipi.

2 *Prudentia* habet se *vt Scientia*: quarum *illa* versatur circa *conclusiones practicas* activas, *hæc* circa conclusiones *speculativas*; vtraque verò *applicat* vniversalia principia ad particulares conclusiones.

2 1 Synteresis dictat *non esse* irascendum, *plus* quàm oporteat.

2 Prudentia *per discursum* ostendit, *quæ ira sit moderata*.

3 1 Synteresis dictat medium *virtutis*;

2 Prudentia medium *ad* virtutem, *& modum inveniendi medium* ad virtutem.

4 1 Synteresis ostendit *Quid faciendum*;


2 Prudentia, *Quomodo*.

5 1 Synteresis dictat *Medium*, quatenùs *opponitur extremo*.

2 Pru-

2 Prudentia dictat *finem materialiter*, dùm eligit illa, quæ ſunt ad finem, & determinat rem in qua eſt finis, ſivè bonitas illa. Quæ differentiæ poſteriores non ſunt prorſus diverſæ, ſed diverſi potiùs modi diverſitates ferè eaſdem explicandi. Quare, vt res perſpicuè explicetur,

6 { 1 Synteréſis *præſtituit* / 2 Prudentia *invenit per media* / 3 Virtus moralis *attingit* } finem.



QVÆST. XIV.

An Prudentia ſit vna tantùm circa objecta omnium virtutum moralium? Aff.

DVm prudentia & virtutes occurrunt animo, videre videor horologium Ethicum: cujus horæ ſunt virtutes, index prudentia. In cujus medio, tanquam in centro, concurrunt virtutum lineæ: dùm index ipſe, prudentia, rationis viribus, velut rotulis, circumfertur. Virtutes Muſæ ſunt, prudentia Apollo: illæ vocem adhibent, vt hic modum. Prudentia eſt corporis politici

litici medicina, quâ varij affectus, tanquam humores, ad amicitiam temperamenti reducuntur. Vna est virtus, & quâ plures virtutes vna fiunt. Hæc vis est & miraculum inconfusæ mixturæ! Quæ sale condimus, non amittunt saporem, sed perficiunt; ijsq; potiùs immiscetur, quàm ab ijs immutatur sal omnium ciborum vnum condimentum: sic & virtutum omnium condimentum est non-mutata prudentia. Sed vt salem hunc aptiùs percipiatis, philosophiæ cibos sic vnà apponimus.

Maxima *difficultas* hujus quæstionis posita est in *distinctione objectorum virtutum moralium*; videtur enim, Quòd vel objecta illarum sint formaliter distincta, & tunc diversæ etiam erunt prudentiæ: vel objecta non erunt distincta, & sic nec virtutes morales erunt distinctæ.

Sciendum tamen distinctionem objectorum virtutum non evertere prudentiæ vnitatem, quæ *partim illustratur*, saltem *probabiliter*, *partim* verò *confirmatur* his rationibus;

1 Est idem objectum prudentiæ, scilicet *verum* in materijs omnium virtutum; & hæc veritas est eadem secundum speciem, quia consistit in *convenientia* intellectûs cum re; quæ convenientia semper est eadem, licèt res sint diversæ. Ratio

 tamen

tamen hæc non admittitur, quia

Tunc, nec plures essent *scientiæ speculativæ*; Scientiæ verò non distinguuntur ex veritate, sed *ex objecto & modo tractandi*.

2 Est vnum objectum *sub vna ratione formali*, nempe bonum humanum, *quatenùs humanum*; sed & hæc ratio à nonnullis minùs admittitur, quia

Non satis ostendit quo modo prudentia sit vna, cùm versetur circa objecta specificè distincta.

3 Est *vna scientia medicinæ corporalis* contra varios morbos; ergò & vna erit prudentia contra vitia per virtutes. Sed & hæc illustratio à nonnullis non admittitur ob dissimilitudinem non minorem inter medicinam & prudentiam; quia

Per *medicinam* acquiritur *vna sanitas*, per *prudentiam* verò *plures virtutes*.

4 Fortiùs verò confirmatur prudentiæ vnitas *authoritate* Aristotelis. Eth. 6. cap. 13. qui contra Socratem asserit, *virtutes non esse prudentias*; *nec tamen sine prudentia*; prudentiam vnam esse circa omnes virtutes satis innuens.

5 Metaphysica est vnus habitus respectu principiorum & speculativorum objectorum: sic Prudentia vna est respectu practicorum & finis vniversalissimi: qui est principium in operabilibus.

6 Aristoteles, 2. de Anima. dicit *sensum communem* ideò esse vnum respectu sensibilium diversorum sensuum, quia comparat inter se eorum objecta; Sic per prudentiam comparamus obje-

cta

cta virtutum & circumstantias.

7 Est *unus modus judicandi de agibilibus* per consultationem, inveniendo mediocritatem in materia, & convenientiam mediorum.

Circa *Operabilia* verè objecta virtutum notandum est, longè diverso respectu esse objecta virtutum & prudentiæ. Objecta sunt *virtutum*, ut *inclinant appetitum per passiones genere diversas*; objecta verò sunt *prudentiæ*, ut sunt *ordinabilia ad beatitudinem*: sic secundum *hanc rationem*, *non* secundum *distinctionem* suam, sub *prudentia* cadunt.

Denique animadvertendum, quòd licèt *propter distinctionem factibilium* sint plures *artes*; secundum distinctionem tamen *agibilium non* sunt *plures prudentiæ*: cùm *artes* assumant sibi *particulares fines*, *prudentia* verò *unum*.



QVÆST. XV.

An Actio & Effectio contradistinguantur? Aff.

SUmmus Aristoteles trutinando cacumina recti,
In duo *divisit* practica *Mentis Opus*. Cujus Actio & Effectio non inconcinnè Academiam referunt & Civitatem. Illa prudenti otio multa agit: hæc curâ artifici mul-

ta edit. De illius conatibus quid sensibus occurrit ?! de hujus, quantum ! subtiliùs illa operatur, hæc astutiùs ; quasi illa concipiat tantùm, hæc parturiat. Actio tamen est anima effectionis, vt anima est corporis quasi actio. Immò & actio est velut corpus, cùm citò dispereat ; dum effectio immortalis, velut anima, posteritati suæ interest, sibique condit monumentum. Per actionem tamen eligimus, quæ per effectionem exequimur : per hanc rectum, per illam rectè operamur. Per vtramque verò, & nos sic vtrumque præstabimus.

Aristoteles varius est in assignando discrimine inter Agere & Facere ; vulgò tamen distinguuntur vt actio immanens & transiens.

Distinctio 1ª. est *à fine.*	1 *Post actionem nihil remanet*, nisi ex accidenti ; quia, opus non est finis actionis ; vt si post actionem viri magnifici supersunt erecta mœnia, aut constructa templa, non est necesse vt remaneant ; quia, finis magnificæ actionis est id *honestum*, quod in actione includitur.
	2 *Post effectionem aliquid remanet.*
2ª. *à principio.*	1 *Actionis* enim principium est *prælectio* ad appetitum mentis pertinens, ideò

ideò Aristoteles 2. Phys. text. 58. dicit actionem soli homini compe-tere, quia eidem soli competit præ-electio.

2 *Effectionis* principium est simplici-ter *intellectus*.

1 *Agibile* ergò est *Eligibile* (Aristot. 6 Met. cap. 1.) & singu-lare, & materia morum; & Electio est propria actio prudentiæ.

2 *Factibilia* sunt *cætera* omnia, *quæ* non pertinent ad pruden-tiam & *à nobis fiunt*.

3ª. *A modo operandi*; quia vt docet Aristoteles 1 Moral. Nicom. cap. 1.

1 *Actio* fit *cum perturbatione*, & intrinsecùs absolvitur;

2 *Effectio* extrinsecùs & *sine illa*.

Definitio. Actio est operatio humanæ libertatis, quæ versatur in attinentibus ad hominum mo-res, ex ratione & præelectione prodiens, gratiâ ejus boni, quod in operatione includitur; Sic est in

1 *Ratione*, vt in *dirigente*.

2 *Præelectione*, vt in *exequente*

3 *Appetitu*, vt in *obtemperante*.

Definitio. Effectio est operatio ab intellectu arte directo per phantasiam & vim movendi in ex-ternam prodiens materiam, gratiâ ejus operis, quod

quod elaboratum remanet.

Habitus *Effectivus* habet *conditiones duas*;

1 Vt consideret *particulare*, & ens per se *artificiale*, cujus principium est in solo efficiente, per quandam rationis molitionem & solertiam.

2 Vt non *respiciat*, in tali operatione, quam efficit, rectitudinem vel bonitatem ipsius operantis, sed *absolutè rectitudinem ipsius operationis secundum se*, sivè sit transiens, vt ædificatio; sivè (secundum aliquos) immanens sit, vt congrua locutio; Et *ita Logica non* est *ars* hoc modo intellecta, *quia* considerat objectum *universale, & demonstrabile, & naturale*.

Aliquæ operationes sunt
- 1 *Purè*
  - 1 Activæ.
  - 2 Factivæ.
- 2 Quasi *mediæ ob similitudinem* cum actione & effectione;

Sic (secundum nonnullos) *eadem operatio miscendi venenum* alicui, vt
- 1 *Eligitur* à medico, est *actio*.
- 2 *Miscetur*, est *factio*.

QVÆST.

QVÆST. XVI.

An Ars sit habitus intellectualis? Aff.

ARs eſt intellectus materialis, Naturæ Mercurius, & velut brutorum anima, quæ, quaſi vna cùm ſit, varias tamen partium delineationes ſubit. Non alium authorem agnoſcunt vniverſæ Metamorphoſes Ovidianæ præter Artem. Natura rebus humanis dominatur: Ars verò ludicrâ omnipotentiâ verſatiles Deos transformavit. Miraculorum mundi heptarchia Artis imperium confitetur; nec minùs debuit Mauſolus aut Diana Arti, quàm Pietati. Monumentum vtriuſq; pietas fuit; Ars verò Epitaphium. Arti debemus nos noſtraque--: ſine qua nec cibo, nec veſtitu, nec apto ſermone frui liceat. Natura America eſt; Ars Europa: vixque magis Americanum Animus ornat, quàm artifex Annulus labiorum appendix. Ars verò Europæa

ſic corpus ornat, quaſi corpus animæ æmularetur; immò, quaſi anima non tantùm in corpus, ſed & in veſtitum diffunderetur. Vt verò Artem ipſam intueamini, omni illam ornatu ſpoliabimus, nec minùs nudam, quam Naturam ipſam, exponemus.

Concluſio

1ª. Ars eſt virtus, quia

1 *Perficit* ſubjectum cui ineſt, ſcilicet *intellectum factivum*, ejuſque opus bonum reddit. Hoc verò

Opus duplex eſt,
- 1 *Interius*, ſcilicet *Ratiocinatio ad judicium* de factibilibus; *cujus* operis bonitas eſt *veritas*, ad quam Ars determinat intellectum factivum.
- 2 *Exterius* (ab interiori opere natum regulari), cujus bonitas oritur à priori bonitate. *Sic* etiam Ars *reddit* intellectûs factivi opus *bonum* & benè ſe habens.

2 *Determinat potentiam ſuam*, ſcilicet intellectum factivum ad verum judicium de factibilibus.

2ª. Ars non eſt virtus hominis, quà homo; quia

1 *Non*

1 *Non* reddit hominem *optimum ſimpliciter*; nam homines mali poſſint eſſe optimi artifices.

2 *Non* reſpicit *optimum opus: quod* non eſt factibile, ſed vel *agibile*, *vel ſpeculabile.*

3 Virtus alicujus non debet attendi ſecundum partem ignobilem; ſed vel ſecundum totum, vel partem principalem. Ars verò tantùm perficit intellectum factivum.

Sic Ars eſt virtus *non hominis*, *ſed intellectûs factivi* in ordine ad objectum illius artis, vt ars architectonica intellectûs architectonici.

Ars eſt *virtus*
- 1 Quatenùs *facultatem benè operandi* præſtat.
- 2 *Non* quaſi *Actum* tribueret *potentiâ benè vtendi.*

Bonitas
- 1 *Artis* reſpicit ipſam *operationem*;
- 2 *Moris*, ipſum *appetitum*.

Ars eſt *virtus* vt *determinat intellectum* ad verum judicium: ſed *indiget virtute* vlteriori quoad opus *exterius*, quia *ita* ſe habet *ad oppoſita.*

Atque hinc eſt quòd *aliquæ artes prohibeantur*; ſcilicet *non* propter ſe, *vt determinant intellectum*, ſed per accidens, *vt iis abuti poſſumus*;

Hinc etiam eſt, quòd Ars appelletur *potentia* ab Ariſtotele; nempè, *quatenùs* in ordine ad opus exterius habet ſe *ad oppoſita*: vt medicus poteſt ſanare & interficere; Et *ſic indiget aut prudentiâ*, *aut virtute morali.*



QVÆST. XVII.

An Prudentia distinguatur ab Arte? Aff.

PRudentia & Ars sunt mens & manus, quæ conspirantibus ministerijs animæ famulantur. Imperij & obsequij vtriusque amicas vices intueamini. Prudentia imperio vtitur; ars verò fruitur: immò licèt illa fidè, hæc tamen viam Mercuriali digito solerter indicat. Nonnunquam tamen Ars vix magis oculata est, quàm Hermes ligneus, qui callem non videt & indigitat. Instar Polyphemi est, fortis at sine lumine: sic viribus non indiget, sed duce. Ars equo non dissimilis, prudentia Equiti: consilium enim prudentiæ est, fræuum artis. Iudicium sic cohibet phantasiam: quæ rarò mala est, nisi cùm incerta est. Prudentia vsum respicit: Ars verò, velut lepus, cursum non terminum cogitat; immò nihil aliud ars cogitat præter opus suum: vt qui speculum intuetur, licèt prospiciat,

ſpiciat, non proſpicit tamen vltra ſeipſum & parturientis vultûs blandam ſobolem. Si verò Artem & Prudentiam Philoſophiæ ſpeculo objiciamus, imagines illarum ſic diſtinguet & reddet.

Prudentia & Ars differunt

1 *Objecti*
- 1 *Extenſione*, quia tota materia artis ſubeſt fortunæ: ſed prudentia agit de animalibus, virtutibus, &c.
- 2 *Formalitate*; nam licèt idem poſſit eſſe & agibile & factibile, tamen agibile, quatenùs tale, non eſt objectum artis. Domus eſt factibilis vt extruitur, eſt agibilis vt eligitur ad talem finem.

2 *Subjecto*; quia perficiunt diverſas partes mentis activam & factivam.

3 *Fine*
- 1 Prudentiæ enim finis eſt *Honeſtum*;
- 2 Artis *Vtile*; nam omne artefactum eſt gratiâ alterius.

4 *Adjuncto*
- 1°
  - 1 Prudentia neceſſariò connexa eſt virtutibus moralibus;
  - Ars autem non.
- 2°
  - 1 Artifex vtitur tantùm ratiocinatione;
  - 2 Prudens conſilio; quia idem eſt conſiliabile (vt Philoſophi loquuntur) & eligibile.

 5 *Perfe-*

5 *Perfectione*

- 1 *Independentiæ*; quia
  - 1 Ars non respicit finem suipsius gratiâ; ideoque *indiget virtute*, scilicet *prudentiâ* ordinante artificiũ ad debitum finem.
  - 2 Prudentia verò, vt virtus nobilior, respicit finem (Honestum) suiipsius gratiâ.
- 2 *Directionis*, quia
  - 1°
    - 1 Ars dirigit *effectionem*, vt res facta sit bona; secundum bonitatem Artis.
    - 2 Prudentia *electionem* interiorem, vt sit medium honestum, ad honestum finem.
  - 2°
    - 1 Cùm Prudentiæ dictamẽ semper ordinetur ad bonum; secundũ ejus dictamen *semper* est operandũ;
    - 2 Non verò semper secundum dictamen Artis; quia intendit rem, quâ vti possumus ad bonum aut malum finem.
- 3 *Simplicitatis*, quia
  - 1 *Vna* prudentia communis est omnium agibilium.
  - 2 *Plures* autem sunt artes speciales

ſpeciales nullam habentes inter ſe connexionem, vt architectonica & coriaria.

4 *Imperij*; quia
1 Prudentia habet rationem *præceptivam*;
2 Ars autem *non*.

5 *Firmitatis*; quia
1 Ars poteſt amitti per *oblivionem*; cùm reſpiciat tantùm cognitionem;
2 Prudentia *non niſi per imprudentiam*, quia reſpicit appetitum; poſteà verò poſſit ſupervenire oblivio.

6 *Imperfectione*; quia
1 Artis *error* ſemper eſt *involuntarius*;
2 Prudentiæ *error* eſt *voluntarius*.



QVÆST. XVIII.

An Artes Liberales sint propriè dictæ Artes? Neg.

HOmo est mundi systema & commentarius, dum eundem contrahit & explicat. Haud secùs enim vel cœlum Angeli, vel terram homines exornant; quàm ejusdem hominis animam eclipticam illustrant scientiæ, impotensque corpus Artes reficiunt. Hæc divina est artificis humanitatis œconomia; quâ pijssimè cautum est, ne qua pars corporis subsidio ingenij destituatur. Ars oleum est, quo invngitur palæstrita; scientia palma est, quâ excitatur: hæc fortem reddit, vt illud agilem; Sic Simia à Leone distat. Scientia solem refert, quem intueri vix possumus, at per quem omnia: Ars verò viam lacteam imitatur; quam videre licet, at per quam alia vix videre licet. Scientia medicus est,

Ars

Ars chirurgus: hic manum exercet, & ille mentem. Scientia est Literarum Summus Pontifex; Artes sunt eidem famulantes Iesuitæ: qui vt reverà haud aliud sunt, quàm Pontifex multiplicatus; sic ferè & Artes sunt Scientia. Scientiæ verò artificio, & Artes & Scientiam sic accuratiùs distinguemus.

Artes liberales sunt 7. Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia; & dicuntur *liberales*, quia ordinantur ad opus rationis & *animæ*, quæ est libera & domina corporis.

Ars *propriè* dicta est, quæ respicit *opus externum*; & talis *sola* est *Mechanica*, & *hæc* sola definitur *ab Aristotele* definitione Artis.

Occasio erroris hâc in re. Aliqui putarunt Artes liberales

non esse { 1 Prudentiam, quia *non* respiciunt *bonitatem operantis*; *rectè*.
2 Scientias, quia ordinantur *ad operationem*. }

1 Alij ergò (pro opinionum varietate) putârunt Aristotelem nominasse *habitus tantùm notiores*; sed non admittenda hæc opinio, quia de alijs alibi Aristoteles non tractat;

2 Alij, quòd Ars liberalis sit *principalis*, & *sextus habitus*; sed nec hæc opinio admittenda, quia contra Aristotelem & rationem.

3 Alij

3 Alij extendunt definitionem Artis ad Mechanicam & Liberalem.

4 Alij putant operationem *immanentem etiam cadere sub Arte,* quatenùs tantùm in tali operatione nuda operationis bonitas respicitur, non verò operantis.

Decisio

1 Ars liberalis *non est Ars, licèt* respiciat *solius operationis bonitatem*; quia hæc proprietas distinguit illam duntaxat à prudentia, non à scientia.

2 Ars liberalis *non* est *Ars, licèt* ordinetur *ad* operationem, seu *praxin*; quia etiam in speculativis est aliquid per modum operis. Est enim

Practicum duplex
- 1 *Perfectè*, quod *immediatè* versatur circa operationes *singulares* dirigendas. *Sic Prudentia & Ars* sunt practicæ.
- 2 *Imperfectè*, operationem considerans *in communi*, *universales* regulas illam dirigendi tradens; Et hujusmodi est *Synteresis* circa principia practica, & *Artes liberales* quæ sunt *scientiæ practicæ*, seu *imperfectè* practicæ; In his enim sunt duplices actus, scilicet, quibus { 1 Docemur / 2 Operamur } in Musica, Logica, &c.

3 Ars

3 Ars liberalis *non est Ars, nisi secundum* quandam *similitudinem*; quia, vt Ars propriè dicta introducit formam in materiam externam; ita Ars liberalis introducit formam suam in operationes animæ; *secundariò* verò etiam in materiam *externam*, *vt Logica* syllogismos efficit *in vocibus & scriptis*. Et sic

4 Ars liberalis *aliquo modo est Ars*, scilicet *secundariò*, vt patet exemplo vltimò allato.

5 Ars liberalis *est scientia*; quia

1 Est circa *subjectum universale*, demonstrabile & naturale; vt *in Logica*

- 1 *Objectum* est ordinatio operationum intellectûs.
- 2 *Principia* sunt, per se nota, ex quibus conficiuntur demonstrationes; Sic, syllogismum primæ figuræ evidenter concludere, ostenditur ex illis principijs, Dici de Omni & Dici de Nullo.
- 3 *Passiones* sunt, vt manifestum est ex singulis illius partibus.

2 Est *habitus speculativus* tradens *universales* regulas; *nec* tamèn est *Intellectus*, *nec Sapientia*.



QVÆST. XIX.

An habitus contemplativus sit nobilior practico? Neg.

Oratio habita, cùm Opponentis partes sustinerem, & Auditoribus meis Munerique philosophico valedicerem.

MAgnum est, hominibus præesse: at majus est, Dijs tantùm interesse. Summa Actio Regia est, humana tamen: infima verò Contemplatio humana est? immò supra hominem! Princeps est meteoron politicum, quod sublime est, sed caducum: qui verò orbem contemplatur stella est, nec magis alta, quàm fixa. Erravit cœca antiquitas, dum Alexandrum *Magnum* nominavit: nominasse debuit *Aristotelem Magnum*; Alexandro orienti tàm fulgidè præluxit Meridianus Aristoteles. Ille Asiam, hic Naturam subegit: ipsumque mare, quod Alexander timuit, intellexit & contempsit


tempsit Aristoteles. Magnum non est, quicquid superare possumus. Non tentavit mare & vicit. Scientia victoria est; vt mirer cur historia non celebraverit Aristotelis Cogitationum stratagemata! Quid te appellem Eudæmon Seneca! præter quem, non alium agnoscit Genium Roma! Qui, contemplatione triumphis Romæ tuæ altiori, quàm proximè à Dijs ipsis abesse videaris, quasi vix aliud inter te eosq; interesset, nisi quòd ipsi in cœlo forent, in te cœlum. Qui sic miracula refundis, quasi amicis tuis Numinibus vices rependeres. Hoc est commercium animæ fœlicis, quæ sibi est forum suum & Eremus! Contemplatio est animæ perspicillum, cujus termini sunt intellectus & Deus, anima & fœlicitas. O quali motu in quietem hanc feror, quæ nec modum novit, nec errorem! Molestum est, bellum etiam philosophicum gerere; jucundum est gessisse: in illo gloria posita est, in hoc fœlicitas. Illud est juventus animæ, hoc senium: quod raro triste est, nisi præcesserit ignava juventus; quod nunquam

quam jucundum est, si præcesserit. Priusquam nos ipsos exerceamus, contemplationi incumbendum est: post exercitationem verò contemplationi indulgendum. Beneficium divinum est Excitata industria: sed ipsum cœlum est industria Emerita. Percurrimus Intellectum, rationis ænigma; cùm ipse sit & oculus, & perspicillum & objectum. Ipse enim est qui intelligit: ipse est, per quem intelligit; ipse est, quem intelligit. Hîc vera est *Guiana* & montes aurei; quos non promisimus & perfodimus. Ignota ferè diu latuit hæc *America Philosophiæ*: cujus jam habuistis etiam sine *Columbo* apocalypsin. Vidistis & vindicastis pentarchiam Habituum; quos dum intellexistis, comparastis: nec magis victoriâ lætor, quàm commilitio. Militastis fortiter strictâ acie & denso agmine pro Literarum republicâ contra grassantem ignorantiam. Tandem licet receptui canere: tandem licet me mihi reddere. Dehinc veritate fruar sine hoste; nec Philosophiæ bellum expectabo, sed amplexus: dehinc frui licet delicatâ

licatâ Contemplationis indulgentiâ.. Cujus liberrimam ſolitudinem illiberali rixarum foro anteponendam eſſe, non inquietis argumentis, ſed ſilentio Peripatetico ſic probo.

Libri ſecundi
FINIS.





Oratio habita cùm Aristotelis Rhetoricorum librum secundum auspicarer; CIↃ IↃCXVII.



DE Perturbationibus dicturo (Auditores humanissimi) ignoscatis oro, si nonnihil perturbatum intueamini Oratorem. Exordium negligere, contra artem est, quam doceo: exordio vti, vltra meam, quam didici. Ab Aristotele initium sumere, esset ignotum laudare; & quasi infinito, cui desunt termini, terminos ponere: à Rhetorica verò incipere haud facilius foret; quæ Eloquentiam dirigit, sed & superat. Parcite ergò si Eloquentiam laudaturus, initium dicendi à perturbationibus desumam: præsertìm cùm, qui Aristotelem dignè laudaverit, dignus sit ipse, cui post Aristotelem secundæ defe-

deferantur. Tantæ ergò provinciæ, immò Orbi, angustia nostra nimis impar. Lachrymas effudisse fertur Alexander, quòd alius non superesset Orbis subjugandus; lachrymas mehercule (mirum dictu) sine sale, insulsas enim, risuque excipiendas : præsertim cùm adhuc superesset Aristoteles alter Orbis, immò quasi vterque Orbis. De cujus animâ, seu potiùs eruditione, si loquuti fuissent, qui spiritum Vniverso vnum tribuêre, vix reclamante Philosophiâ, asserere potuissent Cœlum animatum. Minùs (fateor) Aristoteli, quàm animæ suæ & Naturæ quisque debet: quas tamen, licèt non acceptas illi ferat, perfectas referat; & dehinc non tàm Naturæ studio, quàm Aristotelis incumbat. A quo principia etiam Metaphysica (cùm à natura non possint) quasi demonstrationem mutuantur. Vnam tantùm Scientiam adhuc describendam posteris reliquit, Scientiam scilicet Scientiæ Aristotelis; quæ non immeritò nec inconcinnè *Aristotelographia* appelletur. Ex illius verò Scientijs fœliciter varijs, animus est, immò offi-

officium, apud frequentiam istam, eam laudare, quæ laudare docet: vt non tàm eloquentem, quàm gratum me exhibeam; nec tàm accepisse artem, quàm reddidisse ostendam. Cujus artis vires dum sæpè meditor, planè obmutesco: nec magis arte quàm stupore vincor, quòd Aristoteles noster & sapientissimus extiterit Logicorum & Rhetorum fœlicissimus! Logicam non contempsit potiùs, quàm coluit, quia nec illa illum; neq; enim ingenium colit Logica, sed fodit. Imperavit Logicæ, non servijt. Evagatur verò Eloquentia liberiùs, vtpotè quæ nec virium suarum agnoscit terminos, nec gloriæ. Ferum illud Turcarum genus in exemplum provocemus: cujus ipsa barbaries Eloquentiæ majestatem serenissimam confitetur. Testem appellemus Galliam feritate olim desævientem, quæ cùm vix passa est Romanorum jugum, Eloquentiam passa est, cui ad aram Lugdunensem sedulâ superstitione sacra peregit. Testes appellemus gentes plurimas, de quibus Pyrrhus triumphavit, sed quas vicit Cineas. Vbi enim de-

 fecit

fecit vis & metus, fœliciter prævaluit eloquentia: quæ sanè in omnia est potentissima, nisi in laudes suas; neque tamen tàm ex ignara impotentia, quòd non possit, quàm ex confirmata prudentia, quòd seipsam nolit decantare. Sapientissimi semper Oratores; reliqui homines bruta animalia, homines verò ipsos fœlicissimi Oratores subjugârunt. Victoria Orphei de feris & saxis, vel fabula fuit, vel vaticinium præpotentis facundiæ. Tonitrua *Hyperboles* è constipante verborum, velut nubium, agmine prorumpentia, Cujus aurium, tanquam aëris, excavatos orbes (non-interrupta *Allegoriâ* comitante) horrendo fragoris mugitu non adimplêrunt? Quid *Metonymias* etiam sine Oratore animatas infantia mea elinguis efformare conetur? Mitto *Ironiæ* simulatam irrisionem: mitto fœlicitatem fœtûs illius diversissimi, admirationis & risûs. Mellitissimam verò *Metaphoram* non possitis non degustare: cujus concinna pulchritudo, sonora suavitas, Nectarea dulcedo, tenerrima mollitudo, (addam, parcite audaciæ tropi) subti-

subtilissimus odor, quasi singulis sensibus humanissimè se exhibere non dedignatur. Quid vobis *Synecdochen* memorem? quæ gratissimâ innocui sophismatis reciprocatione fraudem suam compensat, nec semper exhibet partem pro toto, sed sæpè totum pro parte reddit. Hanc ergò, Tropum, (quasi vnicum) appellabo, & vniversæ Rhetoricæ compendiosum emblema. Neq; tamen hîc sistere libet; quia nec Rhetorica hîc sistit. Vlteriùs progredi vltrò vos alliciet *Epizeuxis*, fœlix, fœlix illa repetitio, quæ decies repetita placebit. Huic succedet *Anadiplosis*: Anadiplosis, quæ humanissimè vos compellans attinget, & attrahet; & quasi gratissima Echo dimidiatorum verborum extremitates amabilissimè repetet. Occurret *Climax* aliquantulùm pertinacior, & lascivâ quadam procacitate adblandiens vlteriùs attentionem vestram provocabit, provocatam delectabit, delectatam admiratione quadam percellet, admiratione perculsam retinebit. Occurret ὁμοιοαρχὴ *Anaphora*, occurret *Epistrophe*, suavissima Epistrophe;

 ama-

amabilis Epiſtrophe: &, vt vtramque complectar, *Epanalepſis* occurret. Vultis principium repeti? hoc præſtat *Symploce* : vultis clauſulam repeti? hoc præſtat Symploce: vultis vtrumque repeti? hoc præſtat Symploce. *Epanodos* regredi videtur, non tamen regreditur : immò in delicias veſtras non recedet, ſed procedet vltrò. Atque ecce proſilijt *Paranomaſia*, quaſi ſub linguâ nata, quæ ſubſequi debuit : in quâ vtendâ quiſquis non parciſsimus eſt, nimius eſt. Elegantia ſanè apud veteres non incompta: apud nos verò iſtâ Literarum ſeverâ viciſſitudine, non tàm ingrata, quàm inepta; vt hanc, non injuriâ, Rhetoricæ crepundia appellemus. Poſtremus locus, poſtrema elegantia, poſtremum decus *Polyptoto* debetur; quod caſum caſui, tempora temporibus, quaſi altera Fortuna, ſed mitiore imperio, aptiſsimè connectit. Omnia tamen hæc ſchemata, ſchemata tantùm corporis Rhetorici : adhuc ſupereſt ſuccus & ſanguis; adhuc ſupereſt robur laterum; adhuc ſupereſt juſtiſsima *Exclamatio*, quæ affectus con-

citat & percellit, auget & delectat. O fœliciſsimum Exclamationis incendium! O mitiſsimam violentiam, non ſine exclamatione nominandam! O victricem clementiam, à qua diſcedere non licet! At quid dixi? An hîc ſiſtendum? Revocat me *Epanorthoſis*, immò corrigit; neque enim illa, neque *Apoſiopeſis* reticenda: cujus laudes —. Sed nimiâ admiratione corripior, dùm tuam intueor majeſtatem, dominatrix *Apoſtrophe*, quæ omnium Figurarum regina incedis! Videor tamen audire inflammatam *Proſopopœiam* elatis cervicibus & corrugatâ fronte temeritatem meam ſic increpantem; An noſtra ergò Majeſtas poſthabenda? an quia imperium nobis præripis, præripis & meritum? tantillam putes Proſopopœiæ fortitudinem, quâ ſolâ armatus Marcus Tullius Cicero toties in reipublicæ everſorem Catilinam detonuit? quâ ſolâ ejecit? quâ ſolâ interfecit? Parce, parce tibi, miſerrime Orator; temeritatem & inſcitiam tuam pariter lues. Per Apoſtrophen homines vocales fiunt, per Proſopopœiam parietes ipſi, qui

pro majestate nostra violata testimonium amplissimum perhibebunt. Increpatione istâ (Auditores) agnosco me non mediocriter perculsum: revoco sententiam meam, immò deprecor, nimis inconsultam: & per me posthâc in ambiguo sit, vtriusque & meritum & præmium. Nunquid tamen ἀπορίαν prædicare dubitavero? num quia aliarum maxima gloria, illius nulla? an quia posthabenda est, ideò irridenda? Nunquam, nunquam ferenda est illa illius calamitas; ille illius elegantiæ contemptus; illa illius modestiæ inusta labes. Priores Figuræ confidentes sunt, forsan nimiùm: hæc verò verecunda dubitatione secum priùs deliberat. Huic succedit ἀνακοίνωσις, quæ penè præire mereatur. Quæro enim à vobis (Auditores) num sapientis esse non fateamini in rebus dubijs nil temerè aggredi, in rebus dubijs sibi non confidere, in rebus dubijs alios consulere? Profectò scio sapientiam vestram responsuram, & insignis esse modestiæ & prudentiæ summæ. Non nemo tamen hîc forsan dicat, cùm magis sapien-

tiæ

tiæ ſit graviter reſpondere, quàm ſubtiliſsimè dubitare, cur *Prolepſis*, cujus præcipuè reſpondere eſt officium, Addubitationi non præponatur. Cuiquam ſic aliquantulùm perverſè objicienti breviter dico; Reſponſio vel prudentiſsima quæſtioni ſuæ præire non poteſt, eam ſequi debet. Iam verò, humillimo obſequio, συγχώρησις accedit, quæ etſi non ſubtilis ſit, non robuſta, non elata, vt primum locum ſic ſibi vendicet: quia tamen modeſta, vtpotè nihil niſi permiſsione veſtrâ aggreſſura, vltimum ſaltem locum ei concedatis. Concedatis, oro, mihi quoque interrogandi veniam, num fœliciſsima iſta elegantiarum fœcunditas, non flexanimam pariat audientibus voluptatem? Nullas enim credo tàm effrænes *Perturbationes*, quæ artem & imperium Eloquentiæ non fortiſsimè, non mitiſsimè ſentiant? Si enim Iunonis armata injuria *Iraſcatur*, & in furorem ſit adaugenda, contemptu & eloquentiâ incitantibus, Igneſcunt Iræ, & durus dolor oſsibus ardet. Si tamen inflammati Cæſaris temulentus furor ad molliſsimam

lani-

lenitatem, & cicurem mansuetudinem sit revocandus, victi Ciceronis invicta Eloquentia de victore ipso triumphabit. Cùm quis illigatos *Amores* Pyladis & Orestis suavissimis facundiæ illecebris expressos audiet; amabilem Pyladis amorem, amabilem Orestis insaniam adamabit: immò insaniam merebitur Orestis, quisquis amorem Pyladis non mirabitur. Nil admirari, vnicam fœlicitatem agnovit poëta: hujus tamen amoris fœlicitatem non admirari, Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes. Cùm fratrum Thebanorum regna infœliciter alterna numerosa facundia plenè exprimet, Nec furijs post fata modum, flammasque rebelles seditione rogi —: tàm dulces furias & prophana *Odia* odio non-prophano quis non persequetur? Quoties ego (Auditores) Æneam *Timore* perculsum ad Polydori tumulum apud Maronem legi, fateor me sic exhorruisse, vt maluerim Polydorus esse, quàm Æneas, & ipso tumulo, quàm horrore opprimi. Cujusmodi tamen metum quàm facilè excutio, quoties Capanei intueor

tueor *Confidentiã* Papiniano eloquio ipsum Iovem superbificę provocantem, cujus sacrum fulmen & meruit & contempsit. Vultis *Pudorem* artificiosè depictum intueri? Maronianum Silenum intuemini, qui despumatâ suâ ebrietate, à pueris se vinctum reperiens, procaces illorum lusus humillimâ verecundiâ sic paucis corrigit; Solvite me pueri; satis est potuisse videri: quibus crimen pudendum ipso pudore, quo agnovit, delevit. Impudentiam Rhetorica non agnoscit, neque corona hæc maximè ingenua; eam igitur perturbationum hyperbolen cum Aristotele non imprudens prætereo. *Gratia* verò & *Misericordia* jucundum pietatis certamen ineunt; hæc ex sapientiori doloris sensu, illa ex liberiori celeritate opem subministrans: ad quas vtrasque excitandas mitissimæ Rhetoricæ misericordia opem & artificia mira exhibet. Ad extremum agminis procedunt Aversæ perturbationes, atque harum maximè furiosa *Indignatio* sese exerit: quam in Ajace indignabundo, apud Nasonem, exclamantem audiatis,

diatis, — Et mecum confertur Vlysses? Et certè, ne, dum studemus prudentiæ, veritati obluctemur, si Ajacis sagum & Vlysis (non togatam dicam, cùm Græcus fuerit, at) pacatam prudentiam spectemus, arma fuerunt digna magis, quàm apta præmia: vt non indignè indignatus fuerit ob contemptam fortitudinem Telamonis filius. Subsequitur involutâ facie *Invidia*, quæ suum magis, quàm alienum supplicium est: sed corrigenda hæc insequente *Æmulatione*, quæ vt vltima est, sic plerunque optima. Contemptum enim, æmulationis excessum, contemnamus, saltem non agnoscamus. Vltimam verò (lectissimi Adolescentes) vobis commendatam velim: quam & concitabit Rhetorica, & instruet. Qui verò duodecim his affectibus dominabitur, anhelantem Alcidem cum laboribus duodecim & leoninâ pelle securè aspernetur. Victoria constabit arte & industriâ: ad quas, post tot orationis incendia, vos inflammare, vituperare esset ingenium vel meum, vel vestrum. Si quis tamen Imperatorem quærat, quem

fœliciter sequatur; si artis præcepta spectet, Aristotelem habet, qui vt ætate sic & ingenio longissimè antecessit: si spectet cætera, Ciceronem habet, Senecam habet. Illius eloquentia juvenis, hujus matrona est; ille facundiam ostendit & ostentat, hic illâ fruitur potiùs, quàm de illâ gloriatur: ille retiarium agit, adversarium implicans; hic myrmillonem, ictu trajiciens. Ciceronis impetus etiam impetu adamandi: Senecam verò tanquam animam amo, quia & ille animam, cui & infligit vulnus, & medelam adhibet. Si coram populo perorandum sit, eloquatur Cicero; si coram senibus Seneca: cujus ipse stylus & senium præ se fert, & prudentiam. Cicero est Senecæ quasi Color; Seneca verò Ciceronis Emphasis, immò Ingenij Epiphonema. Cicero est corporis sani Sanguis defæcatus; Seneca ipsius Sanguinis ipse Spiritus. Sed cùm in medio posita sit virtus, in virtute fœlicitas, fœlicitatem si vultis assequi in Eloquentia summam, naturam sequimini. Et, vt in sanguine defertur spiritus, sic fœliciter *in Cicerone*

 Seneca

Seneca fluat. Et vt fœlicitas iſta incorrupta ſervetur, conſulo vobis (vberrimæ ſpei Adoleſcentes) vt, in oratione componenda, non eam ex alienis duriſsimè ferruminatis ſententijs, ſed ex ingenio veſtro fœlicitùs conficiatis; ſic integra, ſic vna, ſic veſtra erit. Araneam imitamini, quæ opus ſuum ope ſuâ conficit. Vndè forſan Latini (ſi conjectura nos non fallat) eodem nomine, Araneæ, & artificem & opus appellârunt. Artificium bombycis imitamini, qui author eſt & opus; creatus eſt, & velut creat; & quaſi contemptor vniverſi, cœlum ſuum ſibi conficit. Sed vereor, ne bombycem ipſe nimis imitatus ſim, & ita ſim orationis filo, etſi non ſerico, irretitus, vt meipſum facilè expedire non queam; &, dum Eloquentiæ artem prædico, vereor ne prudentiam Oratoris, ſaltem gratitudinem, requiratis. Veſtram igitur benignitatẽ prudentiſsimam (viri graviſsimi) compellabit oratio mea, & agnoſcet: vt, cùm à beneficio veſtro initium duxerit, cum ejuſdem gratiſſimâ recordatione deſinat. Qui Ariſtotelem

lem laudavit, laudavit Eloquentiam, qui Eloquentiam beneficium vestrum, cui & patrocinium acceptum refert, & referre conatur gratias: quas si dimidiatas Orator vester rependerit, ære vestro per Synecdochen se totum exolvit.

FINIS.



ERRATA.

PAg. 6. *lin.* 2. *pro panè, lege,* penè. *Idem occurrit p.* 10. *l. ult.* & *p.* 11. *l.* 4. *Pag.* 9. *l.* 12. *pro, falicitate, l.* fœlicitate; *nisi malis legere cum hodiernis Criticis, felicitate: Idem ferè occurrit, p.* 11. *l.* 15. & *p.* 16. *l.* 12. *Pag.* 15. *l.* 16. *pro, habent, l.* habeant, *p.* 18. *l.* 2. *pro, informentur, l.* informentur, & *l.* 6. *pro, plerunque, l.* plerúnque, & *l.* 10. *pro,* [illegible], *l.* nihil perfectissimè animatum. *p.* 36. *l.* 7. *pro,* [illegible], *l.* nunquid. *p.* 87. *l.* 8. *pro, Intellectus in intellectu, l.* Intellectus in intellectu. *p.* 91. *l.* 5. *pro, ut est humanus, l.* ut ejusmodi actus est [illegible] *p.* 99. *l.* 18. *pro,* [illegible] *l.* addenda. *p.* 118. *l.* 6. *pro,* [illegible] *l.* men- [illegible] *l.* differentias.

ERRATA.

PAg. 6. *lin.* 2. *pro panè, lege*, penè. *Idem occurrit p.* 10. *l. vlt.* & *p.* 11. *l.* 4. *Pag.* 9. *l.* 12. *pro, falicitate, l.* fœlicitate; *nisi malis legere cum hodiernis Criticis, felicitate: Idem ferè occurrit, p.* 11. *l.* 15. & *p.* 16. *l.* 12. *Pag.* 15. *l.* 16. *pro, habent, l.* habeant. *p.* 18. *l.* 2. *pro, juformentur, l.* informentur. & *l.* 6. *pro, plerumque, l.* plerúnque. & *l.* 10. *pro, nihil animatum, l.* nihil perfectissimè animatum. *p.* 36. *l.* 7. *pro, numquid, l.* nunquid. *p.* 87. *l.* 8. *pro, Intelectus in intellllectu, l.* Intellectus in intellectu. *p.* 91. *l.* 5. *pro, vt est humanus, l.* vt ejusmodi actus est humanus. *p.* 97. *l.* 24. *pro, frenquentem, l.* frequentem. *p.* 99. *l.* 18. *pro, variteatem, l.* varietatem. *p.* 108. *l.* 25. *pro, addidenda, l.* addenda. *p.* 118. *l.* 6. *pro, effranis, l.* effrænis. *p.* 140. *l.* 20. *pro, mensura, l.* mensuram. *p.* 150. *l.* 21. *pro quòd, l.* quod. *p.* 152. *l.* 4. *pro, differentia, l.* differentiæ.